

Index Disputationum quae hoc volumine primo continentur:

1. De judiciis paganis.
2. De Emphyteuta meliorationibus.
3. De Retentione.
4. De Concussione.
5. De Testamento p nuncupationem qua late factis.
6. De liberis Expositivis fundationem.
7. De immunitate Metastica.
8. De jure Detractionis.
9. De Pensionis ob perititate remissione.
10. De Sumptibus Pietatis.
11. De Schola Macedoniano.
12. De Potestate Maritali.
13. De Actionibus Praejudicialibus.
14. De Moneta, eisdem jure et Mutatione.
15. De Magistratibus.
16. De Actione Spolij.
17. De Divisione ac Qualitate rerum et earum dominio ex iure gentium acquirendo.
18. De Minibus eorumque damnis.
19. De Praesumptionibus.
20. De Servatibus.
21. De Diffidationibus: Confessione.
22. Analysis 1: Traditionibus 20 C. De Pactis.

Dubio

1



DISPUTATIO JURIDICA
DE
PRÆSUMTIONIBUS.

Quam
D. O. M. A.
Præside

DN. JOHANNEN HENRICO
Böttcher

J. U. D. & Professore Ordinario, nec non Di-
casterii Guelphici Assessore, Patrono ac Fautore
plurimum honorando

Publica disquisitioni subjicit

REINHARD DIDERICHUS. Cell.

Auth. & Resp.

AD DIEM MAJ.

IN MAJORI NOVI JULEI AUDITORIO




HELMSTADT,
Typis JACOBI MÜLLERI, M. D. C. LXXV.

19.



DISPUTATIO JURIDICA
DE
FRAGMENTIONIBUS
D. O. M. A.
DR. JOHANNES HENRICO
REINHARD-DIDERICHUS, C. J.
IN MAJORI QUAM JURE AUDITORIO
H. L. D. P. R. O. F. E. S. S. O. R. E. O. R. D. I. N. A. R. I. O. ,
C. A. S. U. S. I. G. N. O. L. I. P. S. I. C. I. A. B. E. L. I. O. R. E. ,
P. A. T. R. O. N. A. E. L. A. N. C. E.
P. L. U. R. I. M. I. H. O. N. O. R. A. N. D. O.
A. O. D. I. E. M. M. A. J. I.
T. Y. P. O. J. A. C. O. B. I. M. I. L. L. I. E. R. I. I. ,
H. A. R. T. S. T. A. D. I. ,
M. D. C. C. L. X. V. I.





I.



Um circumstantiæ sæpe factum aliquod augeant
minuantue, ac aliam nonnunquam facti speciem
reddant, (cujus exempla sunt in *l. 1. §. 3. ad L.
Corn. de sic: & l. 13. C. de transact.*) hinc ut jus
ad factum illud recte accommodetur, ac unicuiq;
jus suum reddatur, judicem factum illud secun-
dum omnes circumstantias accurate examinare

oportet; alioquin enim usu veniet, ut pro jure & justitia summa
sæpe injuria reddatur, ac ita à fine jurisprudentiæ toto cælo a-
berretur. *l. 52. §. 2. ad L. Aquil. Struv. Exerc. 2 th. 45.*

II. Hoc factum ita considerandum vel est Dubium vel Noto-
rium. Notorium, referente Mascardo *de Prob. concl. 1105. n. 3.*
ab Antonio ita definitur: Est probatio indubitata & fini-
ta, nulla discussione egens. Verum, ut Mascardus recte mo-
net, genus Notorii non bene constituitur *Probatio*. Quippe cum
omnis probatio ulteriori in judicio egeat discussione, contrarium
vero in Notorio obtineat, non nisi admodum improprie Notorium
poterit dici probatio. Rectius igitur hoc modo definitur: Est res
evidens ulteriori discussione non egens. Et hoc Notorium alte-
rum est Facti alterum Juris. Notorium facti est quod sese offert
oculis omnium aut majoris partis, ac propter sui evidentiam legi-
time negari non potest. *arg. l. 11. §. 3 de inst. act. l. 33. de V. S. c.
cum dilectis 15. X. de Purg. c. fin. X. de cohab. cleric.* Et hoc No-
torium facti idem est cum ante dicto Facto notorio. Notorium
Juris est evidens notitia ex facto judicialiter discussio emergens.
Nam res judicata pro veritate habetur.

A 2

Noto-

III. Notorium facti, ut & illud quod jam ante per sententiam, iurandum aut similem modum aut decidit ac finitum non ulterio-
rem meretur discussionem. *l. fin. C. quib. ad lib. procl. non lic. l. 7. C. de accus. l. 2. C. de transact. l. 31. l. 12. de jurej. wesemb. tit. de prob. n. 7.* Non levem tamen differentiam hic facit an factum, notorium sit continuum, an permanens, an vero sit transiens, interpolatum & momentaneum. Quod si enim factum sit permanens, tum non eget probatione alia quam sui ipsius, quia non potest legitime negari. *c. tuanos 3. X. de cob. cler. & mul.* Neque in eo judicando est opus ordine judiciali. *l. 7. C. de accus. can. de manifesta 17. can. qua. Lotharius 16. gl. ad can. 14 q. 1. c. 2.* Excepta sententiæ causa pro qua ordo sequendus juris, etiam in notoriis. *c. 3. X. de divorce.* Facto autem interpolato notorio adhibenda est semiplena probatio *c. cum in diocesi de usuris.* Facta etiam notoria, quæ statim transeunt & mutant statum, egent probatione, quia negari possunt quæ fuerant & non sunt. *Ibalof. lib. 47. c. 10. n. 6.*

IV. Modus hic, per quem iudici ut tali res dubia manifestatur, generali nomine dicitur *Probatio* quæ definitur quod sit actus judicialis quo per idonea argumenta de facto aliquo, de quo in iudicio controversia est, iudici fit fides. *Struv. Exerc. 28. tb. 1.* Vel brevius: est rei dubiæ iudici facta demonstratio.

V. Hæc argumenta per quæ iudici facienda fides, siue sint Artificialia siue Inartificialia, vel certam inducunt scientiam, vel tantum probabilem opinionem. Si certam scientiam, tum ille actus, per quem certa hæc scientia inducitur, Probatio in specie sic dicta appellari solet. Et de hac agere non fert instituti nostri ratio. Quod si vero probabilem tantum inducant opinionem, tum probabilis hæc opinio, seu iudicium ex probabilibus argumentis ortum, *Præsumptio* dicitur. *Bach. ad Trentl v. 2. D. 4. tb. 1. a in f. Struv. Exerc. 28. tb. 5.* Et hanc præsumptionem pluribus elaborandam, præsentis disputatione, bono cum DEO, aggredimur.

VII. Cujus natura ut eo melius perspiciatur, primo scitu opus est unde vocabulum hocce derivetur, ut ita ex fonte cuius naturæ sit de-

derivatum quodammodo notum fiat. Dicitur autem *Præsumptio* quasi *Præsumptio* nam *præsumere* est quasi *præsumere* quia id animo & cogitatione sumitur, antequam certum quid fuerit allatum. *Duar ad tit. de prob. c. 5.*

III. Deinde quot modis *Præsumere* accipiatur notandum est. Et 1. idem quod *ante sumere* significat, ita ut nudum denotet factum agentis. Unde Plinius *lib. 36.* tradit de farina cujusdam lapidis in certamine bibendi adversus ebrietatem à potatoribus *præsumenda*. 2. accipitur pro *Audere vel Tentare aliquid contra jus*, ut in *cap. 1. X. Ne cler. vel monach. secul. negot. se immise*: quando dicitur: *Sed nec procuraciones villarum, aut jurisdictiones etiam seculares sub aliquibus principibus & secularibus viris, ut iusticiarius eorum fiat, clericorum quisquam exercere PRÆSUMAT.* 3. à Rhetoribus *præsumere* interdum ponitur, pro *præoccupare* Qui præsumtionem vocant, cum id, quod in adversarii causa vel in iudicis opinione contrarium nobis esse aut fore arbitramur, præoccupamus dicendo, ac bonis rationibus dissolvendo. Quintilianus *lib. 8.* ait: *Mire vero in causis valet præsumptio, quæ πρόληψις dicitur, cum id quod obijci potest occupamus* 4. usurpatur pro *Putare*, Sic quando *l. 7. ff. de in litem jur.* dicitur: *Vulgo PRÆSUMITUR alium non debere in litem jurare quam dominum litis.* 5. denique significat *Præsumere, Conjicere, Divinare aliquid in dubio.* *Valer. lib. 1. c. 5.* *E fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triumpho animo PRÆSUMPSIT.* Etc. 6. *Præsumsit animo eare significari exitum suum h. e. Coniecit, Vaticinatus est.* Vide *Lexic. Jur. Calv. pag. 1598. verb. Præsumere.* Et hæc ultima acceptio hujus est loci.

IX. Synonymiam Præsumtionis quod attinet, variis illa solet à variis insigniri nominibus. Quintilianus *lib. 2. Insti. Orat.* eam appellat Præsumtam Opinionem. Tacitus, Præsumtam Suspicionem. Dicitur etiam *Judicium l. 34. C. ad L. Jul. de adult. Suspicio l. ult. de quest. l. 5. de pæn.* Et *Conjectura l. un. Si tab. test. ext. l. 47. de donat. int. vir. & ux. l. 102. de cond. & demonstr. vide Coll. Arg. tit. de prob. th. 14.*

A 3

Hisc.

X. Hisce præmissis jam ad ipsam accedimus definitionem. Ubi observandum quod male à nonnullis definiatur per *Probationem*, Præsumtio enim non est ipsa Probatio, sed quædam Opinatio ex Probationibus orta. *Bachov. ad Trentl. v. 2. d. 4. th. 1. a* Neque etiam est, ipsa *ostensio fidei*. Præsumtio namque id operatur ut fides de re dubia fiat. Adeoque cum nihil, eodem respectu simul causatum & causa esse possit, male *Ostensio fidei*, quæ est præsumtionis causatum, genus præsumtionis causantis statuitur. Est itaque Præsumtio nihil aliud quam probabilis quædam Conjectura seu judicium ex veresimilibus certisque quibusdam signis enascens ad adstruendam rei dubiæ fidem. *Coll. Arg. de prob. th. 14. Andr. Vallens. ad Jus Can. tit. de præsumpt.*

XI. Differt ita definita Præsumtio 1. à *Probatione in genere* eò quod probatio ita accepta inducat Præsumtionem. Sicut igitur, causa efficiens ab effectu, ita Probatio in genere à Præsumtione differt. *Coll. Arg. tit. de prob. th. 14. 2.* ab *Judicio*, & quidem eodem modo quo differt à probatione supra dicta. Præsumtio enim potius ab *Judicio* causatur, (ut ita loquar) quam quod ipsa met sit *Judicium*. 3. à *Conjectura* sicut species à genere *Conjectura*, enim ex quolibet, etiam leviori oritur signo, Præsumtio autem non nisi ex certo. 4. à *Signo* & quidam primò eandem ob rationem, propter quam à probatione in genere accepta illam distingui diximus. Deinceps etiam subjecto differunt *Signum* & Præsumtio. Hæc enim est in intellectu, illud vero dicit aliquid sensu exteriori perceptibile, adeoque extra intellectum positum, quod argumentum etiam conducit ad probandam assertionem secundam hujus thesis, Præsumtionem sc. differre ab *Judicio*, quia *Judicium* est species aliqua signi. 5. à *Suspicionem*, quod suspicio ex indiciis tantum oriatur levioribus, (prout videre licet ex definitione Ciceronis eam definiens quod sit opinio mali ex *levioribus* indiciis procedens) præsumtio non nisi ex certis signis ac veresimilibus. 6. à *Fictione*, & quidem objecto, quia quod fingitur semper opponitur vero, *Fictio* enim est falsi pro vero assumptio, quod autem præsumitur plerumque verum est. *Coll. Arg. tit. de prob. th. 15.* Plures affe-

ren-

rentem differentias vide Menochium *de præsunt. quest. 8. lib. 1.*
XII. Dividi à nonnullis solet Præsuntio in Temerariam sive Levem, Violentam & Probabilem. *Temeraria* est quæ sine causa & ratione aliqua legitima concipitur à malevolis & malis hominibus. *l. 3. §. 1. de min.* Et hæc in judicio non attenditur, vixque nomen præsuntionis meretur. *Probabilis* est quæ confirmari facile potest aliqua legitima ratione, sed non plane aperta & concludente. *Violenta* sive *Aperta præsuntio* est quæ videtur habere causas necessarias præcedentes. Exemplum est in *l. 6. de his qui sui vel al. jur. & cap. 12. 13. X. de præsumpt. P. Greg. Tholos. lib. 47. cap. 11.*
XIII. Alii à qualitate desumpta divisione Præsuntionem in Affirmativam & Negativam dividunt. *Affirmativa* est qua aliquid esse præsumitur. Veluti accepisse pecuniam is præsumitur, qui in chirographo adscripsit causam ex qua accepit. *l. 31. ff. de prob.* Et cancellato chirographo debitor præsumitur liberatus. *l. 24. d. t. Negativa* est qua aliquid non esse præsumitur. ut nemo suum creditur jactare. *l. 25. pr. d. t. Coll. Arg. tit. de prob. th 15.*
XIV. Omnium famosissima distinctio est qua distinguitur Præsuntio in Præsuntionem Hominis, Juris, & Juris & de Jure. Ex ratione namque & argumento probabili vel Homo sc. Judex, vel ipsa Lex præsumtionem inducit. Si Homo, erit *præsuntio Hominis*; Si Lex, tunc vel præsumtionem simpliciter inducit, & erit *Præsuntio Juris*: Vel inductæ plenam insuper fidem attribuit, auferendo facultatem probandi contrarium: Nisi forte manifestissima adsit probatio aut confessio adversæ partis. Velut in speciel. *23. pr. C. ad SCt. Vell.* si alter fateatur quod mulier nil acceperit, non denegabitur mulieri SCti beneficium. Et hæc solet vocari *Præsuntio Juris & de Jure* Struy. *Exerc. 28. th. 16.* Bachov. *ad Treutl. V. 2. D. 4. th. 1. A. & th. 10. C.*
XV. Præsuntio Hominis est qua à Judice argumentis probabilibus ex ipsius negotii qualitatibus & circumstantiis quid inducitur, & inductum pro vero habetur, usque dum ab eo, contra quem est præsumtio, elidatur. Exemplum est in *l. 9. ff. de prob. & præs. ubi Judex ex eo, quod plerumque tam heredibus nostris quam nobismet,*

met ipsis cavemus, præsumit non de ipso solummodo contrahente, sed etiam de herede ejus convenisse in eo pacto in quo heredis mentio facta non fuit: nisi ab actore contrarium probatum fuerit.

XVI. Præsumtio Juris est qua à lege ex probabilibus rationibus civilibus circa negotium aliquid inducitur, ac ita inductum itidem pro vero habetur, usque dum probationibus vel præsumtionibus legitime elidatur. Exemplum est in *l. 24. d. t.* ibi ex facto illo ad negotium directo, cancellatione nimirum chirographi lex debitorem à creditore præsumit liberatum. Quod si tamen nihilominus creditor manifestis probationibus sibi adhuc deberi ostendat, recte debitor convenitur. Aliud exemplum est in *l. 2. § 1. ff. de part.*

XVII. Præsumtio Juris & de Jure est qua à lege ex fortioribus quid inferitur rationibus, idque illatum adeo pro vero habetur, ut probatio in contrarium non admittatur Exemplum est in *l. 34. C. ad L. Jul. de adult.* ex qua si vir & mulier adulterii suspecti exceptione propinquæ cognationis adulterium depulerint, & postmodum in matrimonium convenerint, adulterium commisisse præsumuntur; adeo ut, velut, conficto & confesso facinore, severissime in eos statuatur. Aliud exemplum adducunt ex *l. 23. C. ad SC. Vell. & ibi gloss.* Si nimirum mulier in instrumento intercessionis scripserit, sese aliquid accepisse, & sic ad intercessionem venisse; & hoc instrumentum publice confectum inveniatur, & à tribus testibus consignatum: lex non solum præsumit quod propriæ utilitatis causa contraxerit, sed simul disponit quod mulier hæc SCto gaudere non debeat. Tales etiam præsumptiones in causis matrimonialibus plurimæ occurrunt. v. g. Si quis sponsam de futuro aut sub conditione acceptam carnaliter cognoverit, Canon præsumit & disponit, quod hæc conjunctio pro vero & perfecto debeat haberi matrimonio *c. 30. X. de spons. c. 6. X. de cond. app.* Aliud exemplum extat. *c. 2. X. de eo qui dux. in matr.*

XIIX. Dispiciendum nunc cujus sit Præsumere. Et quidem præsumere quilibet potest, qui modo intellectus & rationis usu est instructus. Atque hanc præsumtionem egregie juvant *εὐσυχία* & *ἀγχινοία*, quarum Illa est facultas qua absque rationatione & discursu

scursu conclusionis veritatem celeriter assequimur. Hæc vero est bona quædam medi conjectatio brevissimo tempore. Prout eas describit Dn. Meyer in *analys. eth. lib. 6. th. 27. & 28* Hic tamen non agimus de hac præsumptione & conjectura, sed de illa tantum, ob quam regulariter in iudicio vel condemnari aut absolvi, aut litigantibus aliquid tribui vel injungi potest.

XIX. Is igitur quo ad nostram materiam, præsumere dicitur, qui juris reddendi facultatem habet. Hanc autem quis habet vel independenter, ut Legislatores: vel dependenter ut Magistratus & Judex. Quo spectat quod Baldus *ad l. cum de indebito 25 ff. de prob.* scribit, Præsumere esse Legis vel Judiciis, ut Persuadere Advocati, Testari Testis.

XX. Majestas præsumendi facultatem habet propter prudentiam, legislatariam, & supremam potestatem disponendi de vita & fortunis civium. Etenim omnis potestas civilis à Majestate fluit & ad illam refluit. *Menoch. lib. 2. præf. 14. n. 3.* Et primum ac præcipuum attributum majestatis est potestas ferendarum legum *l. fin. C. de LL. Besold. diss. de Jure Maj. c. 2.* Et licet ipsa Majestas non eam habeat prudentiam, tamen sufficere potest si aliorum tanquam suâ prudentiâ in ferendis legibus utatur. *arg. pr. I. de Codi. ill.* Itaque Majestas civilis non tantum per leges latas secundum prudentiam legislatariam potest statuere quid de hoc vel illo negotio sit præsumendum, sed etiam vi supremæ potestatis de vita & fortunis civium, secundum rectam rationem & publicam utilitatem, potest disponere. Et hinc oritur supra adducta divisio Præsumtionis Juris & Juris ac de Jure. Ita enim lex præsumit eum qui reddidit chirographum remisisse debitum. *l. 2. §. 1. de pact.* sic ex diuturnitate temporis, frequentia calculationis & conjunctione sanguinis lex remissionem debiti præsumit. *l. 26. de prob.* Sic in *l. 34. C. de adult.* non tantum lex præsumit sed simul disponit. Ita in *N. 1. c. 2. §. 2.* lex non tantum præsumit, quod heres non conficiens inventarium res hereditarias occultaverit; sed Legislatores ex potestatis plenitudine simul disposuit, quod talis heres in solidum sit obligatus. Et ita in omnibus obligationibus Juris & de Jure res se

B

habet,

habet, ut ex Clarissimi Domini Præsidis discursu me audivisse memini.

XXI. Judex hanc facultatem habet propter prudentiam judicariam, & publicam auctoritatem qua pollet, ac invitis etiam jus reddere potest, modo judex sit competens, & vel propriam vel delegatam aut saltem prorogatam habeat Jurisdictionem. Cum enim sapius perfecta probatio haberi non possit, Judex, vi prudentiæ judicariæ, ex qualitate facti ejusque circumstantiis, hoc vel illud colligit, ac rem ita se habere præsumit. Sic si non constet de ætate alicujus, judex ex habitu corporis & operationibus præsumit ætatem. *l. 23 ff. de min.* Item si ignoretur an maritus impensam fecerit in rem dotalem tanquam negotiorum gestor, an tanquam maritus, ex qualitate & circumstantiis impensarum judex æstimare & præsumere potest. *l. 47. de don. int. vir. & ux.* Ut tamen hæc præsumptio recte se habeat duo requiruntur 1. prudentia Judicaria, hæc enim & judicem reddit probum & perspicacem, ut non temere & ex affectu aliquid præsumat. 2. potestas judicandi in hac causâ, hoc locò, & tempore, circa hanc personam. Si enim hac potestate destitutus sit Judex, habetur pro privato, ejusque præsumptio nullam aliam vim habet. quam si privatus quid præsumserit.

XXII. Judici accensetur Arbitrator compromissarius, qui libero partium consensu electus ut instar judicis causam cognoscat, & suo pronuntiato, quod Laudum vocant, dirimat. *l. 1. ff. de recept. arbitr.* Quamvis enim hic publica auctoritate non polleat, nec ipsius laudum sit sententia proprie sic dicta, tamen est instar judicis ejusque pronuntiatum est loco rei judicatae, præsertim si partes ei subscripserint, vel decennii silentio confirmaverint. *l. 5. C. de recept. arb.* Et arbitri ut judices causas cognoscere debent *l. 14. C. de jud.* & ideo etiam arbitris facienda est probatio, & arbitri præsumendi potestatem habere debent.

XXIII. Causæ, ex quibus præsumptiones oriuntur, tantum non innumeræ occurrunt, & plurimum huc faciunt loca & sedes argumentorum de quibus *Arist. lib. 1. Rhetor. ad Alex. cap. 8. 9. 10. II. 12. 13. 14. Quintil. Instit. Orat. c. 19. Cic. in part. orat. item in topicis.* Et multa egregia circa hanc materiam congeffit Everhardus à Mid-

à Middelburg in Topica sua legali. Viginti duas præsumtionum sedes recenset Durandus in *spec. jur. lib. 2. part. 2. tit. de præsumt.* Nimirum 1. ex causâ. 2. ex persona. 3. ex loco. 4. ex tempore, 5. ex equalitate. 6. ex taciturnitate. 7. ex utilitate. 8. ex fletu. 9. ex fuga. 10. ex negligentia. 11. ex conversatione. 12. ex familiaritate, 13. ex vicinitate. 14. ex obscuritate. 15. ex eventu. 16. ex dignitate. 17. ex quantitate. 18. ex dilectione. 19. ex societate. 20. ex frequentatione. 21. ex ætate. 22. ex quantitate temporis.

XXIV. Addunt nonnulli famam tanquam causam ex qua præsumptiones procedunt. *Petr. Greg. Tholos. lib. 47. cap. 1. n. 7. & 8.* Et quidem interdum fama instar actoris est, *c. 17. X. de accus. item testis. l. 3. §. 2. ff. de test. can. 4. quest. 6. Caus. 35. cap. 5. de eo qui cogn. conf. ux.* Non tamen fama per se sufficit ad inquisitionem condemnationem vel absolutionem. Alioquin enim, ut ait Quintil. *de clam. 8* fraude inimicorum falsa vulgantium sæpe fama noceret, etiam innocentibus: Cum famæ sæpe numero indignitas initium, credulitas incrementum det. Diligenter itaque dispiciendum est judici à quibus personis fama oriatur; an ab amicis, an inimicis, an à fide dignis vel non &c. item an ex probabilibus causis. Quod si enim temerarius rumor fuerit facile credendum non est. *cap. 5. X. de eo qui cog. Tholos. d. loc. Barb. lib. 6. cap. 8. ax. 1. Ciron. in parat. 1. Can. tit. de præsumt.*

XXV. Ut ut autem hæc omnia præsumtionem facile gignant imprimis tamen observandæ sunt regulæ præsumtionum, quarum tres Alciatus in tractatu suo de præsumtionibus collegit, variisque ac multis exemplis tam explicavit quam illustravit. Quas proximis sequentibus tribus thesibus ponemus, ac uno vel altero exemplo declarabimus.

XXVI. Prima igitur regula est. *Naturalia semper præsumuntur adesse* Naturalia autem hic dicuntur omnia illa quæ vel Natura vel Lege requiruntur, & communiter ac plerumque adesse solent. Sic qualitas quæ naturaliter inest homini, aut quæ à Lege statuta vel moribus requiritur; adesse præsumitur *gl. in cap. si forte de Elect. 6. v. g. in l. 8. §. 3. quod met. caus.* pro affectu parentes magis in libe-

ris terreri dicitur, eo quod parentes præsumuntur amare filios. Unde etiam pietas paterni nominis consilium pro liberis plerumque capere dicitur. *l. 22. §. 4. ad L. Jul. de adult. l. 3. §. 1. de adm. tut.* Ita in minoribus inconsulta ignorantia. *l. 1. §. 1. de min.* in senibus prudentia, in mulieribus imbecillitas, timiditas, avaritia, in artifice peritia artis, in quolibet homine mentis & corporis integritas præsumitur: *wesemb. ad tit. de prob. n. 15.* Sic factum illicitum malo animo factum præsumitur. *c. 1. de presunt.* Sic in nudo cum nuda in lecto reperto copula facile præsumitur. *c. litteris X. de presunt.* Ita quæ cum viris alienis vagatur non esse pudica præsumitur &c.

XXVII. Regula secunda est *Res præsumitur in eodem statu sive Mutatio non præsumitur.* Hinc semel malus semper præsumitur, esse malus *reg. 8. de reg. jur. 6.* Adeoque semel perjurus semper pejerare præsumitur. *c. 15. caus. 22. q. 5.* Et semel bonus semper præsumitur bonus. Ex transacta enim vita discimus quid de sequenti sit præsumendum. *arg. l. 5. §. 6. de re mil.* Quæ tamen naturaliter ex cursu temporis mutari solent, non ita præsumuntur in eodem statu. Sic v. g. ætas eadem præsumi non potest.

XXIIX. Tertia regula est: *Præsumtio debet fieri in meliorem partem.* Unde est quod in societate civili quilibet præsumatur bonus *l. 51. pro soc. & quod bona fides præsumatur in possidente. l. pen. C. de evict.* Et ab agentibus ea via per quam actus sustinetur electa putatur. *Bald in rubr. C. de fide inst. n. 8.* Ita pro instrumento militat præsumtio veritatis & solennitatis. *Berl. p. 2. §. 283. n. 13.*

XXIX. Objectum præsumtionis quod attinet versatur illa circa personas res & facta, de quibus dubium esse potest, an ita se habeant nec ne. *l. 16. C. de prob.* Quicquid enim negatione adversarii dubium redditur, hoc judici probandum est, ut si minus certa scientia erui possit, præsumtio saltem veresimilis induci queat. Cum autem supra enarrata, negatione adversarii, dubia judici sæpe reddantur, constat probationem, adeoque etiam præsumtionem, per probationes late acceptas inductam circa illa occupari.

XXX. Enu-

XXX. Enumerata vero objecta cum paucis hisce pagellis omnia, exacte elaborari nequeant, exempli loco quædam solummodo sum allaturus, quid circa personam res & facta præsumatur vel non: Personam igitur primo quod attinet, consideratur illa vel ratione, nativitatis, vel sexus, vel ætatis, vel bonorum corporis, vel animi, vel ratione status, dignitatis, divitiarum, vel denique ratione vitæ & mortis. Et circa pleraque hæc multa à Jure finguntur, multa etiam præsumuntur.

XXXI. Ratione nativitatis partus simul ac conceptus est aliquando fingitur jam natus esse, non autem statim à die conceptionis præsumitur animatus, sed demum post quadragesimum diem talis putatur. *Zach. quest. medicoleg. lib. 9. tit. 1. quest. ult. n. 114.* Et quando disceptatur an partus naturaliter vivere possit, statur judicio obstetricum. *Jul. Clar. in §. testam.* Si quærat an partus maturus & vitalis fuerit an vero non, tum animadvertendum illum, qui asserit partum fuisse immature & intempestive editum, præsumtionem contra se habere: Siquidem præsumtio est à natura ipsa ducta ut suo tempore pariat mulier. *Menoch. lib. 6. Præf. §. 2. n. 2. Gutierrez lib. 2. præf. quest. q. 101. in f.* Nonnunquam tamen partus præsumitur immaturus, scilicet quando mulier quæ pepererat in ipso partu decessit, vel si secunda sive maestra non sit matura, aut ex tussi vehementiori, feбри violentiori, saltu clamore timore &c. quibus mater tempore gestationis afflicta est. *Menoch. d. loc. n. 8. 16. 20. 23.*

XXXII. Ad præsumtiones circa nativitatem pertinet etiam quæstio, quando aliquis prior quando posterior natus esse præsumatur. Et solent de hac quæstione tres casus formari. Primus casus est cum uno partu masculus & foemina nati sunt, & agitur de favore libertatis. e. g. Si testator ancillæ libertatem legaverit, ea sub conditione si primum filium masculum pepererit: Tum si uno partu hæc ancilla masculum & foeminam enixa fuerit, & incertum sit uter prius in lucem editus, tum ob favorem libertatis præsumtio facit pro masculo; eo quod in ambiguis humaniorem sententiam sequi oportet. *l. 10. §. 1. de reb. dub. l. 56. l. 192. §. 1. de R. l. a-*

deoque etiam quoties dubia libertatis interpretatio, pro libertate respondendum. *l. 20 de R. l. reg. 15 in 6to d. t.* Secundus est casus cum masculus & foemina uno partu orti sunt, & non agitur de libertatis favore. Et quidam putant in dubiis etiam hoc casu masculum prius editum praesumi. Rationem etiam ex physicis proferunt, quod masculus ob majorem insitum calorem prius perficiatur. Quod tamen Menochius *lib 6 Praef. 51. n. 23.* non simpliciter admittit. Tertius casus est cum duo ejusdem sexus, utputa duo masculi vel duae foeminae uno partu nascuntur, Quo casu nulla quidem a lege praesumptio fit, Interpretes tamen ob naturalem rationem illum prius editum praesumunt, qui robustior aut formosior est. Quae tamen ratio itidem Menochio *loc. cit. n. 24.* non satisfacit. Referenda etiam huc quaestio quisnam ex duobus gemellis prius conceptus praesumatur. Et communiter Doctores illum, qui prius editus est, prius etiam conceptum autumant. Hoc quod & multis naturalibus rationibus confirmat *Zach. lib. 9. tit. II. 9. 3.*

XXXIII. Sexus differentia, an aliquis mas an foemina sit, facile apparet. Si tamen Hermophrodita sit, cui sexui sit adscribendus, dubium oriri potest. Et Ulpianus quidem *in l. 10. de statu hom. c. jus sexus eum aestimandum esse dicit, qui in eo praevalet.* Sed redditur hic quaestio uter praevalet, & hoc ex variis signis praesumi debet. De quibus vide *Zachia quest. Medico L. lib. 7. tit. 1. q. 8.* In dubio tamen praesumptio est pro masculino. *Gothof. ad d. l.*

XXXIV. In jure nostro sub masculini sexus appellatione saepe etiam foemineus continetur. Pronuntiatio enim sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur. *l. 195. de V. S.* Sic verbum hoc *si quis* tam masculos quam foeminas complectitur *l. 1. d. t.* Sic appellatione servorum servae plerumque continentur. *l. 62. de leg. 3 l. 40. §. 1. de V. S.* Patroni appellatione & patrona continetur *l. 52. de V. S.* Et filii appellatione filia. *l. 84 116. 122. d. t.* Sed hoc quidem procedit in iis casibus ubi una eademque ratio obtinet. Diversa autem militante ratione in masculino & foemina, haec sub illius appellatione non comprehen-

henditur, verba licet sint communia. Proindeque in multis etiam articulis juris differentia sexus dispares producit præsumptiones. Sic mas præsumitur robustior & prudentior: Mulier infirma & fragilis. *l. 2. § 2. ad SC. Vell* meticulosa *gloss. in c. 14. de spons. inconstans &c.* Et propterea in iis juris articulis ubi agitur de muneribus & honoribus subeundis mulierum deterior est conditio. *l. 9 ff. de statu hom. l. 1. ff. de Senat. l. 2. de R. I.* Ubi vero agitur de patrimonio conservando, melior censetur earum conditio *pr. in fin. J. quib. alien. lic. vel non & tt. ff. ad SC. Vell.*

XXXV. Ætas hominis in quatuor potissimum classes distribuitur; sunt enim homines vel impuberes, vel puberes, vel minores, vel majores. Ætas non præsumitur, quando est fundamentum intentionis alicujus, sed ab allegante eam debet probari. Adeoque quando quis v. g. restitutionem petens intentionem suam in Ætate minorenni fundat. minorennitatem illam allegatam probare tenetur. *l. 9. C. de prob. l. 4 C. de in integr. rest.* Ex aspectu tamen corporis interdum minor ætas colligitur, & præsumtio pro asserente minorem ætatem militat, ac transfert onus probandæ ætatis in adversarium. *l. 32. de minor.* Præsumitur etiam ætas, & quidem habilis, quando ætas requiritur ad habilitatem personæ, & validitatem actus, & non agitur directo de cujusdam præjudicio. Habilitas enim non negata præsumitur. *Bellamera Dec. 134. Ricc. part. 5. dec. 1785* Et quilibet præsumitur idoneus ætate & moribus. Unde si quis sit officialis, præsumitur habere ætatem quæ requiritur in tali officiali. Et si quis fecit testamentum, præsumitur fuisse in ætate habili. Eodem modo qui fecit professionem præsumitur fecisse in legitima ætate. *Alciat. de præf. reg. 2 n. 6. & 7.* Præsumitur etiam ætas minorennis, quando alicui datus est curator, tanquam minori. *Ibidem, n. 8. Menoch. lib. 2. præsumt 50. & 51*

XXXVI. Corporis integritas sæpius in dubium vocatur, dum quis vel simulat morbum, vel ab alio sanus negatur. Simulari morbum Zachias dicit tres potissimum ob causas, sc. Timorem, v. g. ad declinandum quæstionem, Verecundiam, & Lucrum, ut
impro-

improbi mendici. Et tum ex variis signis in veritatem inquirendum est, quorum quinque ex Galeno affert Zachias *lib. 3. quest. Medico L. tit 2 q. 2.* Consideranda est igitur primo personæ, quæ morbum simulare dicitur, status & conditio, & alia extrinsecus advenientia, maxime vero consideranda est causa, quam verosimiliter quis simulandi habere queat. Ut si quæstioni applicandus vel carceri includendus sit. Secundo deprehendi potest simulatio ex specie morbi simulati, consideratis causis externis, corporis habitu, ætate, antea actæ vitæ ratione, & hujusmodi. Ut si quis heri colore vivido, ac succiplenus, quique semper vitam frugalem vixerit, hodie hydropem repente causetur. Tertio deprehenditur interdum simulatio ex difficili admissione remediorum, cum verosimile sit vere ægotantem, recuperandæ sanitatis cupidum, ea libenter admissurum. Hoc tamen argumentum admodum fragile esse, nisi alia concurrant, ex horrore, quo nonnulli ab usu medicamentorum plane abhorrent, facile apparet. Quarto deprehenditur nonnunquam ex accidentibus, symptomatibusque ipsos morbos comitantibus, horum enim absentia locum præsumptioni facit. Quinto denique ex iis quæ quidem ab initio non statim comitantur morbum, sed regulariter progressu temporis accedunt. Ab alio quis sanus negatur ut propterea à munere publico, vel contractu aut societate conjugali excludatur, & hoc casu itidem probationibus & præsumtionibus esse locum, nemo temere negabit. Porro corporis integritas vel statim in sensu incurrit, interdum ex ætate, ex sensu aliisque circumstantiis colligitur. Sic juvenes præsumuntur robustiores quam senes; cum, testante Comico, senectus ipsa sit morbus. Indeque etiam *in cap. 1. §. si vero Episc. de cleric. agr. in 6to* statutum est perinde licere Episcopo senio confecto coadjutorem assumere ac ægroto. *vid. Zach. lib. 1. tit. 1. q. 9. à num. 61. usque ad n. 81.*

XXXVII. Ratione prosperæ vel adversæ valetudinis solet & inter Doctores controversi, utrum is qui semel ægotus semper eodem morbo laborare præsumatur, aliis affirmativam, aliis negativam foyentibus sententiam. Alciatus *reg. 2. Pres. 19* (quem & Meno-



& Menochius sequitur *lib. 6. l. 44.*) distinguit inter fonticum & curabilem morbum. Hoc non perpetuo quis laborare præsumitur, sic v. g. feбри olim correptus, non & eadem nunc affligi creditur modo tantum temporis spatium intercesserit, quantum ad morbum illum curandum requiritur. Illo verò, v. g. comitali, affectus semper eodem laborare præsumitur. Cujus ratio est quod curatio hujus morbi non sit ordinaria, sed admodum rara & accidentalis, accidentia autem non præsumuntur.

XXXIIX. Pertinet itidem huc quæstio de virginitate, quando sc. illa corrupta aut integra præsumatur. Corrupta præsumitur, quando mulier incedit vestita habitu meretricio, vel à nuptis ferri solito. *l. 15. §. 15. de injur.* Qualis enim quisque extrinsecus videtur, talis judicari potest. *arg. l. 50. ff. locati.* Hæc tamen præsumtio quæ ex vestitu atque habitu oritur, potissimum est privata, ut is qui ex vestitu aliquam præsumit defloratam, & propterea ejus pudicitiam verbis attentat, non teneatur injuriarum. *d. l. 15. de inj. l. 21. quod met. caus.* Ut & quando puella ipsa aliquoties cum amasio in loco secreto ad carnalem conjunctionem apto fuit versata: præsertim si fuit prohibita, ne cum hoc vel illo tali loco conversetur, *Menoch. lib. 6. P. 88. n. 6.* Item si nuda cum nudo, sola cum solo, clam in lecto fuerit deprehensa defloratio facile præsumitur. *c. 12. de Præsumt.* Nec non quando obstetricum judicio, inspectione facta, virgo deflorata censetur. *Menoch. d. l. n. 11.* Non tamen indistincte aspectus vel virginitatem retentam, vel omissam probat. Vide *Observationes Sennerti l. 4. Pract. Med. de mulierum & infantium morbis p. 2. sect. 3. c. 1. q. 2.*

XXXIX. Referenda similiter huc venit quæstio quando mas vel femina habilis ad generandum præsumatur: Et vel propter ætatem inhabilis præsumitur, ut infans & puer impubes. *c. 2. X. de frig. & malef.* ut & decrepitus. *l. 15. §. 2. de adopt.* Vel propter certa quædam signa frigiditatis. *c. 1. X. d. t.* Et si non constet de congreddi impotentia, ex triennali oscitantia præsumitur; Si enim à tempore conjugii per triennium cohabitaverint conjuges & carnali copulæ operam dederint, nec tamen conjungi potuerint, tanquam

C

impo-



impotentes separari possunt. *c. 5. X. de frig. & malef. c. 1. XXXIII.*
q. 1. N. 22. c. 6. Habilis vero præsumitur si quis aliam mulierem,
familiarius cognoverit. *Menoch. lib. 6. P. 90. n. 9* Sic etiam mu-
lier quæ non cognita à marito separata propter suam impotentiam,
ab alio tamen post cognita, præsumitur jam habilis, & priori marito
restituenda. *Innocentius ad cap. 6. X. de frig. & malef. n. 4. 5. &*
6. An autem Innocentii, aliorumque Canonistarum, ratio sufficiat
hic examinare nec libet nec licet.

XL. De animo hominis primo considerandum an in aliquo ne-
gotio ad fuerit vel non. Secundo attendi debent ea quæ sunt in
animo. Denique tertio absentia, imbecillitas, aut etiam alienatio
mentis considerationem meretur. Adest animus in homine vel
plene & perfecte, quando intellectus & voluntas perfecte concurrunt,
& homo ex proposito aliquid gerit. Vel non ita plene adest, ut
homo non quidem ex proposito sponte tamen agat. *Arist. lib. 3.*
Eth. cap. 1. 2. 3. 4. Ut igitur animus plene & perfecte adeste dicatur
1. requiritur Scientia, 2. Voluntas. 3. Deliberatio. *Arist. lib. 3.*
Eth. ad Nic. cap. 1. Scientia adeste præsumitur cum factum est
manifestum, nec facile ignorari potest aut debet. Scire enim qui
potest nec scit idem est ac si sciret, *cap. ult. X. de cland. deff. & paria*
sunt scire vel de facili scire posse. l. 48 in pr. de fidej. l. 19. ad SC.
Maced. l. 9. §. 3. de jur. & fact. ignor. Hinc fluit quod filius præ-
sumatur scire factum patris, *Ricc part. 5. coll. dec. 1785.* Et quod
conjunctus vel vicinus præsumatur scire facta conjuncti vel vicini,
quæ in scientiam & cognitionem illius cadere possunt. *Menoch.*
lib. 6. pres. 51. n. 43. & 44. Itidem quod præsens in curia præsu-
matur certioratus de omnibus à suo procuratore factis. *Ricc part.*
5. dec. 1785. Nec non quod scire præsumatur quis de qua publica
fama est. *Alex. conf. 101 1125. l. 7.* Scire qui debuit tamen est in culpa
quam ille qui scit. *l. 5. ff. de Reb. cred. l. 15. de resc. vend. l. 8. §. 1. ad L.*
Aquil. l. 7. §. 2. pro emt. Ac ille qui negligit illud scire quod scire
debut nulla excusatione dignus judicatur, juxta illud *Ignorans i-*
gnorabitur ut dictum est in *cap 19. in f. dist. 37.* Hinc neminem
juris ignorantia excusat. *l. 7. l. 9. de jur. & fact. ign.* Scire enim
qvi-

quilibet præsumitur quod lex declaravit, cum quilibet scire leges te-
neatur. *l. 9. C. de LL. l. 12. C. de jur. & fact. ign.* In dubio vero
regulariter præsumitur ignorantia. *l. 21. ff. de prob. reg. 47. de R.
I. in 9. Ricc. part. 5. dec. 1644.* Ignorantiæ namque præsumptio po-
tentior est quam scientiæ. *Barb. lib. 9. cap. 3. ax. 5.* Admittitur
tamen contraria probatio. *Menoch. lib. 6. pres. 23.* Scientia amit-
titur Oblivione. Illamque præsumi ex longitudine temporis, *per l.
44. de acq. vel am. poss.* ex negotiorum varietate ac multitudine,
& ex morbo memoriam debilitante. Referente *Menoch. lib. 6. pres.
32. Barb. lib. 13. c. 8. ax. 1.*

XLI. Voluntas ex verbis & factis potissimum præsumitur. *l. 5 ff.
ratam rem hab. l. 48. §. 3. de edil. edict. Mantica de tac. & amb.
conv. t. 1. lib. 6. tit. 2. n. 4.* Modo talis fit persona quæ velle po-
test. Voluntas enim corde & mente retenta nihil operatur. *l. 7.
C. de cond. ob caus. Barb. lib. 19. cap. 41. ax. 31. Menoch. lib. 4.
pres. 67. n. 15.* Magis tamen ex factis quam verbis præsumitur, quia
voluntas facto magis quam verbis declaratur. *l. 5. C. de lib. pret.
Menoch. lib. 4. P. 23. n. 3. lib. 1. quest. 19. n. 1. & quest. 26. n. 6. &
7.* Licet enim quis verbis se profiteatur Christianum, factis autem
se talem non probet pro Christiano [non habetur *c. cavere XXII. q.
5.* Adeoque voluntas etiam magis spectanda quam verborum con-
ceptio. *.. 17. ff. de LL. l. ult. C. qua res pign. obl. poss.* Sic verbum
emit interdum idem est ac *conduxit*, si natura contractus hoc suase-
rit. *Cephal. conf. 603. num. 17. & late Menoch. conf. 27. n. 43. lib.
1.* Idque maxime procedit in ultimis voluntatibus. *Menoch. lib. 4.
Pres. 23. num. 3.* In testamentis enim plenius voluntates testantium
interpretandæ. *l. 12. de R. I.* Ita voluntas alienandi colligitur ex
scientia rei suæ & justo titulo. *l. 3. §. 8. de cond. caus. dat. l. 18. de
reb. cred.* In contractibus tamen & pactis fit interpretatio contra
eum qui clarius legem scribere potuit. *l. 39. de pact.* Doctores au-
tem antedicta ita demum procedere dicunt, quando factum est de-
terminatum ad quid certum præsumendum, secus si sit indetermi-
natum & indifferens. *Barb. lib. 19. cap. 41. ax. 32.* Denique id de-
mum velle quis præsumitur quod de jure potest & non plus *Alex.*

conf. 122. num. 6. lib. 1. Neque enim quis velle præsumitur quod non est suæ potestatis. *l. 21. §. 6. ad Municip.*

XLII. Hæc Voluntas regulariter non præsumitur mutata. Idque duplicem ob causam, primo quia mutatio, in genere non præsumitur, Et secundo quia præsumere aliquem voluntatem mutasse, esset aliquo modo eum inconstantia arguere, præsumtio autem fieri debet in meliorem partem. Hinc v. g. voluntas donatoris declarata per nuntium vel epistolam intelligitur durare donec donatarius certior fiat, nisi expresse revocetur. *Aret. conf. 17. n. 1. Mantica de tac. & ambig. conv. t. 2. lib. 13. tit. 7. n. 5.* Et cum positus ponendis solo animo possessio civilis retineatur, *l. 8. de acq. vel am. poss. l. 153. de R. I.* primus possessor etiam nunc possidere præsumitur, & contrarium asserenti incumbit probatio. *l. 16. C. de prob.* Nonnunquam tamen voluntas præsumitur mutata, in actu nimirum ab unius voluntate pendente rebus mutatis. Ita ex nova causa voluntatis mutatio præsumitur. *Dec. in c. 1. n. 6. de iudic. Alc. de præf. reg. 2. Præf. 16. n. 2. vers. limitatur* v. g. si in personam procuratoris supervenerit aliquid ob quod veresimiliter dominus eum ab initio non constituisset, si causa illa ad fuisset, præsumitur, ob supervenientem illam causam mutata domini voluntas. *Alc. reg. 2. præf. 16.* Præsumitur interdum etiam mutata ex loci mutatione, cum plerumque mutato loco mutetur & mentis affectus, prout dicitur *can. 9. dist. 81. Menoch. lib. 6. præf. 38.*

XLIII. An deliberato animo aliquid factum fuerit nec ne præsumtionibus indagandum est. Cum enim abdita sit hominis voluntas, soli que pateat Deo scrutatori cordium ac conscio secretorum, *gloss. ad cap. 13. X. de iudic.* nec homo de occultis divinare possit, *cap. ut. nostrum §. 1. ut eccles. benef. sine dim.* conjecturis ac præsumtionibus quo animo quid factum fuerit notificandum. Præsumitur autem animus ex verbis & factis personarum ex circumstantiis temporis, loci, finis, mediolorum sive instrumentorum. Sic ex verbis talis præsumitur animus, qualia sunt verba probata. *l. 7. §. 2. supell. leg. Gail. 2. obs. 106. n. 7.* Item ex genere armorum, ut si quis gladium in aliquem strinxerit occidendi animus præsumi-

fumitur, secus si clava alterum percusserit. *l. 1. § 3. ad L. Corn. de sicar* Nonnunquam ex qualitate percussione; Sicuti si quis baculo percusserit caput verberati: Ex ea enim parte corporis cuius percussio valde periculosa est colligitur animus occidendi. *Menoch. lib. 5. praf. 40. n. 11* Aliquando ex qualitate personarum. Ut si quis percusserit consanguineum suum, non censetur id animo occidendi fecisse, eo quod nemo præsumatur odio prosequi carnem suam. *c. non estimemus, q. 2.* Aut si magna extiterit amicitia inter vulneratum & vulnerantem. *Menoch. d. l. n. 22.* Sæpe etiam ex causa, e.g. si quis aggressorem occiderit, non præsumitur id fecisse animo occidendi, sed se defendendi. *l. 3. C. ad L. Corn. de sic.* Deniq; ex actu subsecuto. Ut si quis occiso homine abiciens arma, fortunam suam adversã detestatus fuerit. *Menoch d. l. n. 29.* ubiq; lamen attendi debet temporis spatiũ an quid derepentẽ, an temporis intervallo factũ sit.

XLIV. Referenda huc venit quæstio an & quando dolus præsumatur. Et quidem regulariter non præsumitur dolus, *l. 51 pro soc.* sed per spicuis indiciis est probandus. *l. 6. C. de dolo malo l. 25. §. 1. ff. de prob. l. 10. C. de resc. vend.* Et si nulla adsit spes lucrandi & negotium alias licitum publice ac palam exerceatur dolus adesse non videtur. *l. ult. de ritu nupt. Barb. l. 14. c. 44. n. 3.* ac illi, qui facit quod iusta ratione putat sibi licere, dolus non potest imputari. *Bald. conf. 244. in f.* Sunt tamen casus in quibus & dolus præsumitur, ex clandestinitate, ex personarum qualitate, & facto ipso. Nam in illis quæ sunt de genere prohibitorum dolus præsumitur, *l. 5. C. de injur.* quando enim quis delinquit eo ipso etiam in dolo esse censetur. *l. 2. §. 8. de vi bon. rapt.* Non potest enim dolo carere qui imperio magistratus non paruit. *l. 199. de R. I.* Præsumitur etiam, si quis id non facit quod facere erat obligatus. *l. 8. § 9. l. 44. mand. l. 1. § 2. depos.* Ita qui cum adolescente male pecuniam consumituro contraxit, dolo contraxisse præsumitur. *l. 12. § 11. ff. mandati l. si quis cum sciret. 8. in pr. & ibi Imola ff. pro emt.* Sic depositarius qui sine iusta causa rem restituere negat dolo agere putatur. *l. 1. ff. de pos.* Et tutor qui habet librum rationum eumque recusat exhibere in dolo præsumitur. *l. 1. in gloß. ff. de tut. &*

rat. distr. Itidem si quis ea quæ non sunt vera expresse asserit, & ita aliquem ad actum inducit. *l. 43. §. 3. de furt. l. 9. §. 1. l. 7. §. f. de dolo.* Uti & præsumitur adversus eum qui scienter & studiose contra veritatem aliquid facit. *l. 12. de dolo malo & met. exc.* Interdum etiam ex nimia cautela & diligentia, quæ actui alicui adhibetur. *l. 7. de cond. inst.* Nec non ex variatione actuum ad quos quis fuit inductus. *l. 23. C. mand.* Deniq; ex enormi læsione. *Gail. 2. Obs 77. n. 12.* XLV. Quod si homo non ita plene perfecte & directo aliquod factum intendat, non tamen justam adhibeat diligentiam, ut factum hoc quod avertere aut evitare potuerat & debebat evitet, culpæ reus est. De culpa hac sciendum est quod in dubio non præsumatur, eo quod culpa sit quædam species delicti, delictum autem non facile præsumatur, *arg. l. 51. pro soc. Mantica. de rat & ambig. conv. lib. 7. t. 18. n. 9.* Conf. *Arg. v. 2. conf. 81. n. 65.* præsumtio enim fieri debet in meliorem partem. Si tamen id quod contigit ita se habeat, ut vix absque culpa contingere potuerit, culpa non raro præsumitur. *Röppen 9. 38. Rauchbar qu. n. 41. lib. 2.* Sicuti de incendio dicitur quod culpa inhabitantium fieri præsumatur. *l. 3. §. de Off. Pref. vigil. l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend.* vide *Sinckelth. Obs. 89. per tot.* ubi multa egregia tradit de incendio casuali & culposo. Ita de furto dicitur, quod regulariter absque culpa contingere non solet, maxime si furtum in via vel hospicio sit commissum. *l. cum duobus §. damna & ibi gloss. v. surreptum ff. pro soc. wesemb. conf. 36. n. 28. p. 1.* Ita de fuga hominum qui custodiri solent dicitur quod præsumatur culpa custodientis fieri. *l. 21. ff. de R. V.* Hæc tamen culpa præsumta elidi potest, si reus, cui res ablata est, ostenderit quod potatione somnolenta in somnum fuerit inductus *gloss. in l. dolam C. de dolo.* Vel si uxor subtraxerit; huic iuste confisus putatur maritus, nec culpæ reus est si in hac fiduciam collocavit, nec præ illa custodienda occlusit. Vera autem culpa est si quis fecit actum jure non permissum: exemplum est in provocante alterum. *l. 52. §. 1. ad L. Aquil. Masc. concl. 467. n. 19.* Similiter culpæ reus putatur, quando quis omisit facere, quod quilibet diligens pater familias fecisset. *l. 11. de peric. & comm.*

Comm. rei vend. Masc. d. concl. n. 20. 21. & 22. Item qui fecit, quod fieri non consuevit, & facere non debuit, culpæ reus est. *Menoch. lib. 5. pres. 3. n. 133.* Sic culpa non caret qui se immiscet rei ad se non pertinenti. *l. 36. de R. I.* Nec imperito, qui artem, quam non novit, profitetur, prodest ignorantia, nam; imperitia culpæ annumeratur. *l. 132. de R. I.* Qui enim ignorat quod scire poterat & debebat, aut causa est quo minus velit, quod jam nolle dicitur, sponte agit, licet non proæretice, & propterea merito obligatur. Non raro tamen leges hic poenam & obligationem remittunt; uti hoc novimus de facto summe ebrii. In universum autem in quibus casibus dolus præsumitur, multo magis culpa præsumi potest, & quodcunque factum potest præsumi dolosum, hoc præsumi potest culposum. Quod tamen non ita intelligendum, quasi in mitiorem partem sit præsumendum, si forte de dolo constet, aut fortiora adsint argumenta pro dolo. Sed ita hoc intelligendum est, v. g. si ex emtione & præparatione veneni aliquando potest præsumi dolus, multo magis potest præsumi culpa. Nam si præsumitur ex aliquo actu majus delictum, facilius etiam potest præsumi minus. *Menoch d. l. n. 135.* Præterea etiam factum alterius sæpius alterius culpæ ascribitur. Sic iudex, qui imperitis assessoribus utitur in culpa esse præsumitur. *arg. pr. l. de obl. ex quasi del.* Sic inhabitanti ædes, unde aliquid dejectum est qua vulgo iter fieri solet, culpa deicientis vel effudentis ascribitur. *t. t. ff. de dej. vel eff.* Et is qui malorum hominum ministerio utitur in culpa esse præsumitur. *l. 7. pr. ff. nauta caup. §. 3. l. de obl. ex quasi del.* Sic culpæ dominorum, qui utuntur militibus effrenata libidine grassantibus, eorum delictum ascribitur, licet domini ignorantiam suam probare velint. *Marc. Anton. de Amatis Decis. 8. n. 15. Merckelbach. v. i. Conf. Klock. 38. n. 31.*

XLVI. Quæ in animo existunt tria sunt, Habitus, Potentia & Affectus. *Arist. 2. Eth. cap. 5.* Habitus vel est intellectualis vel Moralís, & consistit vel in Vitio vel in Virtute. Vitium morale non præsumitur. *Alc. reg. 2. Pres. 4 n. 3.* quia nemo præsumitur malus, eo quod præsumtio fieri debeat in meliorem partem. Si tamen

men vel uno vitio morali quis imbutus sit, facile est præsumtio de altero, propter magnam connexionem quam habent vitia inter se. *Alc. reg. 1. præf. 7. n. 2.* Vitia enim oriuntur ex corrupta voluntate, cujus igitur voluntas apparet uno vitio corrupta, de illo facile fit iudicium quod in aliis vitiis compatilibus idem sit, v. g. prodigus facile est intemperans. Si vero vitia non sint compatibilia, ex uno non præsumitur alterum. v. g. timidus non præsumitur audax. Interdum etiam filii eodem vitio affecti præsumuntur, quo laborare patres. *dist. 56. c. 10. Alciat. reg. 2. præf. 7. n. 2.* Cujus ratio exhibetur inferius *th. 52.* Contra Virtus Moralis in homine merito præsumitur, cum quilibet præsumatur bonus. *cap. 1. X. de scrut.* Alia verò est ratio Virtutum Intellectualium; hæ namque in his demum præsumuntur, qui certam scientiam aut peritiam profitentur. Culpa enim est affectare id de quo quis scire poterat aut debebat suam imperitiam vel infirmitatem alii nocere posse. *l. 8. ad L. Aquil. l. 132. de R. I.* Culpa autem, ut ex superioribus constat, non præsumitur, E. nec imperitia aut infirmitas in talibus personis est præsumenda. Si tamen constet quod ex imperitia damnum dederit, damnum culpa datum dicitur.

XLVII, Hinc est quod Legislatur præsumatur prudens & justus. Cum enim nulli alii in Republ. competat leges condere, quam illi qui Legislaturiam habet potestatem, *l. ult. C. de LL.* leges autem in Republ. recta homines dirigere debeant ad virtutem & rerum sufficientiam, hoc autem fieri non possit nisi sint justitiæ & prudentiæ conformes, hinc non potest non de legislatore præsumi quod sit justus & prudens: quoniam hæ duæ qualitates ad leges ferendas maxime sunt necessariae. Et propterea dicuntur leges divinitus latae per ora principum, & Legislatores merito profitentur quod justitiam colant, æquum ab iniqvo separent, & bonos non tantum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere studeant. *l. 1. ff. de l. & l.* Si tamen Legislatur & Senatorum & Consiliariorum prudentia utitur, ut præscriptum in *l. 8. C. de LL.* hac tanquam sua utitur, & est quasi ipsius Legislaturis prudentia. *Arist. 3. Eth. c. 3.*

XLIX. Col-

XLIIIX. Colligitur etiam inde quod Judex prudens & justus præsumatur, & quod recte faciat ea quæ officio suo incumbunt. *l. 2. C. de off. civ. jud. verb. quod non arbitramur, cap. 6. X. de renunt.* Ideo quia ad illud officium plerumque eliguntur litterati, providi & honesti viri. *cap. in nostra. 4. X. de procurat. cap. nisi essent. 21. X. de prabend.* Hinc non præsumitur Judex aliquid sine causæ cognitione facere. *cap. 16. in f. X. de re jud.* Et præsumuntur, qui causas cognoscunt, non facile ad culpam venire, cum veritatem examinant. *l. 17. C. de jud.* Et generaliter justa causa præsumitur in eo qui publico jure utens aliquid exequitur. *l. 3. §. 1. de injur. Alc. reg. 3. præf. 9.*

XLIX. Ortum hinc est illud communiter jactatum proverbium: Cuilibet in sua arte credendum est. Unde quicquid artifices in sua arte judicarunt id firmum & inconcussum manere debet. *Sic in Nov. 7. cap. 3. §. 2. mechanicis & architectis determinandum relinquitur, quantum ratione emphyteuseos, ob damnum ex incendio, terræ motu aut ruinâ factum, præstandum sit.* Non tamen verbis eorum simplicibus sed juratis demum fides habetur. *Berlich p. 1. concl. 59. n. 36. 37.* Aliud exemplum vide in *l. 1. §. 1. de insp. vent.*

L. Deducitur inde quoque quod Notarius præsumatur officio suo recte fungi, quamdiu contrarium non probatur. *c. 13. X. de præscr.* Imo quod ita præsumatur pro Notario, ut si reperiat, aliud scriptum, aliud dictum, non tam falsitas quam error præsumatur. *Alciat. reg. 3. præf. 13. n. 10.* Et quod autoritas Notarii jurati æquipolleat duobus testibus, *cap. 11. X. de prob.* Denique quod generaliter pro quolibet officiali præsumatur, & si quid neglectum reperiat, culpa potius partis quam ipsius fuisse præsumatur. *l. 1. C. de suscept.*

LI. Potentia hic dicitur illa facultas, quæ communiter hominibus à natura inest, quæque homines sunt apti ad aliquid agendum vel omittendum. *Arist. lib. 2. Eth. cap. 5 in f.* Hæc potentia naturalis in quovis præsumitur, modo ætas, vitium aut aliud quid non obstet. Juxta regulam præsumtionum primam, *Naturalia*

D

semper

semper præsumuntur adesse. Sic v. g. sana mens, cum sit naturalis, in quolibet præsumitur. Hinc non creditur testibus de furore deponentibus, nisi reddant rationem dicti sui. Sola enim testatione prolatam, nec aliis legitimis adminiculis causam approbatam nullius esse momenti certum est. *l. 4. C. de testib.* Et magis creditur & statur testibus deponentibus de sana mente, quam de furore *Ricc. coll. dec. 1557.* Itidem testis in causa furoris inductus non probat, si interrogatus de causa scientiæ respondet, *scio quia vidi ipsum furere.* Nec ei creditur nisi dicat signa & actus, per quos intelligatur quis furiosus. Ex eodem principio fluit quod quilibet præsumatur diligens ad suum commodum. *Bellamera dec. 653.*

LII. Ad hanc potentiam & facultatem naturalem præsumendam, plurimum facit (1) *Nascendi conditio.* Filius enim præsumitur gesta patris imitari, tam in vitiis quam in virtutibus: quia pars quodammodo patris est filius. *l. 22. §. 1. C. de agr. & censit. Gramat. dicis. 18.* In qua præsumptione etiam fundari videntur, qui ad nobilitatem generis plurimorum majorum nobilitatem requirunt. Præsumitur enim quod descendens ex nobili genere sit vir generosus, & fortitudinis studiosus, *Alc. reg. 1. Præs. 48. n. 1.* juxta illud Horatii:

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in juvenis est in equis patrum.

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

(2) *Patria.* Hinc qui mancipia vendunt, nationem cujusque in venditione pronuntiare debent: plerumque enim natio servi aut provocat aut deterret emptorem. *Itcirco interest nostra scire nationem.* Præsumtum etenim est quosdam servos bonos esse quia natione sunt non famata, quosdam malos videri quia ea natione sunt qua magis infamis est. *l. 31. §. 21. de edil. edict.* (3) *Temperamentum.* Sic *Melancholici* studiis speculativis apti censentur quia sunt meditabundi & sedati: cum *Sanguinei* è contrario sint inquieti & inconstantes. *Phlegmatici* ad res bellicas sunt inidonei, utpote segnes & timidi: aptiores sunt *Cholerici*, audaces scilicet, præpetes,

petes, iracundi. *Scip. Claram. de conject. cujusque mor. (4.) Ætas.*
 Sic infantes nullum dicuntur habere intellectum, id est nullum
 intellectus usum. §. 9. *I. de inutil stip.* Pupillum, qui proximus
 pubertati est capacem esse & furandi & injuriæ faciendæ, dicitur
l. 111. de R. I. ac in talem omne delictum cadere præter adulterium,
cap. 1. X. de delict. puer. nisi & in hoc malitia suppleverit ætatem.
 Impuberum ætas quæ videt ignorat. *l. 1. C. de fals. mon.* Minorum
 judicium fragile est ac infirmum, & multis captionibus suppositum,
 multorum insidiis expositum. *l. 1. ff. de minor.* Senes prudentes
 existimantur. *arg. l. 1. de alb scrib. (5.) Sexus.* Major enim ani-
 mi vigor in maribus præsumitur quam in foeminis, quæ dicuntur
 fragiles, *l. 22. C. ad SC. Vell. l. 1. §. 19. C. de rei ux. act. l. 20. C. de*
don. ante nupt. l. 12. qui pot. in pign. hab. pr. l. quibus alien. lic. l. 3.
C. de præscript. 30. vel 40. ann. c. 13. X. de privileg. infirmæ, l. 9. de
jur. & fact. ign. l. 9. de cur. fur. l. 18. de jure fisc. l. 1. §. 10. ad SC.
Turp. l. 1. C. quando mul. tut. off. l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. majest. l.
44. C. de decur. imbecilles l. 2. §. 2. ad SC. Vell. l. 23. de nupt. sci-
 licet dicente Ovidio.

Fortius ingenium suspicor esse viris

Ut corpus teneris sic mens infirma puellis.

(5.) *Pulchritudo vel deformitas.* Pulchritudo enim faciei pulchri-
 tudinem etiam animi videtur exprimere: Quia natura magnis
 mentibus domicilia plerumque digna metatur. Huc conducit
 quod autor quidam Gallicus dicit: *Faciei pulchritudo rivus est ab*
æterno pulchritudinis fonte, Deo, deductus: qui eam largitur an-
gelis imprimis & animabus rationabilibus hæ autem vicissim cum
corporibus sibi conjunctis participant. Deformitas è contrario
 corporis animi deformitatem quodammodo indicat. Unde istud
 Martialis:

Crine ruber, niger ore brevis pede, lumine laesus,

Rem magnam præstas Zoile si bonus es

Hinc etiam Aristoteles ad S. B. pulchritudinem requirere videtur.
 Multa præterea de hac materia congerentem vide *Tiraquell. ad L.*
2. connubial. num. 54. & 55. (7.) Statura. Unde Curtius *lib. 6.*

cap. 5. Thales trin habitum Alexandri, haud quaquam rerum famæ
 parem, mirantis ad instar oculis perlustrasse, dicit, statimque sub-
 jungit: *Quippe omnibus barbaris in corporum majestate veneratio
 est: magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos
 eximia specie donare natura dignata est.* Idem à Scytis ei evenit,
 quorum legati admissi, iussique confidere, in vultu ejus defixerunt
 oculos, quia magnitudine corporis animum aestimantibus, modi-
 cus haudquaquam famæ par videbatur. *Curt. lib. 7. c. 8.* Eadem-
 que opinione antea decepta Syfigambis, Hephæstionem Regem,
 esse rata, quod is corporis habitu Alexandro præstabat, eum suo
 more venerata est. *Curt. lib. 3. c. 12.* Ex quibus recensitis colligere
 licet apud illas gentes præsumptionem fuisse, quod habitus
 corporis magnitudini animi responderet, ut contrarium videre
 admirationi illis & pæne pro miraculo fuerit. Nec sine causa in
 sacris litteris in pluribus etiam proceritas corporis laudatur. Hoc
 autem ridiculum est, quod non nemo ex glossatoribus *Juris ad l. 1.
 ff. de jurisd.* statuit jus dicentis officium dici potius *latissimum*
 quam *longissimū*, quod in homines oblongos non cadat prudentia.
LIII. Affectus præsumuntur ex sanguinis propinquitate, ætate,
 sexu, divitiis, & nobilitate. Sic ob sanguinis propinquitatem
 parentes præsumuntur amare filios. Adeo ut pro affectu paren-
 tes magis in liberis terreantur. *l. 8. §. 3. quod met. caus.* Et pene
 per filii corpus pater magis quam filius periclitetur: Eandemque
 ob rationem consanguinei præsumuntur non omisuri de-
 fensionem consanguinei sui. *l. 5. §. 1. quib. ex caus. in poss. Al-
 ciat. reg. 1. præf. 1. §. 22.* Propter ætatem juvenes præsumuntur
 cupidi, ad sperandum faciles, iracundi, verecundi, misericordes.
 Senes è contrario suspicaces, timidi, inverecundi, cuilibet spei dif-
 fidentes. Medià procedunt vià corroboratæ ætatis viri. *Arist.
 lib. 2. Rhet. cap. 12. 13. 14.* Ratione sexus scemina præsumuntur
 timida, misericordes, invidæ. *Arist. lib. 9. de hist. anim. cap. 1.
 mutabiles, avaræ l. 4. ad SC. Vell. Masc. de prob. concl. 10. num.
 29.* Respectu divitiarum divites interdum contumeliosi, pauperes
 invidi censentur. *Arist. lib. 2. Rhet. cap. 16.* Nobilis generosus
 existimatur. *Ibidem cap. 17.*

LIV. Sta-

LIV. Statum hominis quod attinet, describitur ille à ICris quod fit conditio hominum civilis, quæ facit ut hoc vel illo jure quis in societate civili utatur. Condicio autem ejusmodi est vel Absoluta vel Relata. Absoluta est ea quæ distinguntur homines in liberos & servos. Relata vero respicit Familiam aut Civitatem certam. Ratione Familiæ homines vel sunt personæ Extraneæ, vel ejusdem Cognationis. Ratione Civitatis homines vel sunt Cives vel Peregrini. *Struv. Exerc. 3. th. 6. 7* Unde tria patet esse capita Status, Libertatem, Familiam & Civitatem. Quid de singulis præsumendum sit modo examinabimus.

LV. Et primo quoad Libertatem, quilibet in dubio liber esse præsumitur. Idque ob favorem libertatis, cujus respectu antiquos Legislatores multa, etiam contra communes regulas, statuisse manitestum est. *§. 4. l. de donat. §. 34. l. de legat. l. 24. §. 10. de fideic. libert.* Hinc quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. *l. 20. l. 179. de R. l.* Semper enim in dubiis benigniora præferenda sunt. *l. 56. l. 192. §. 1. de R. l.* Odiatque restringi, favores ampliari convenit. *reg. 15. in 6to de R. l.*

LVI. Ratione Civitatis spectandum quando quis Civis, quando Peregrinus præsumatur. Alciatus *reg. 2. præf. 15.* scripsit in dubio aliquem præsumi civem illius civitatis, in qua habitare reperitur. Menochius *lib. 6. præf. 30. num. 25.* vero illius civitatis civem præsumi dicit, in qua fuit alitus & educatus. Civis est vel *Originarius* vel *Voluntarius*. Originarius est qui per natiuitatem, manumissionem & adoptionem talis est effectus. Originarium civem quempiam præsumi putat Mascardus *de prob. concl. 1141. n. 15. & seqq.* ex verbis enuntiativis principis civem alicujus urbis in quodam privilegio appellantis, ex litteris sepulchro incisis, antiquis instrumentis, libris æstimi, communi voce & fama, libris parochi &c. Menochius autem *lib. 6. præf. 30. n. 31.* ex hisce enumeratis solummodo habitationis, aut civitatis ex privilegio præsumtionem fieri dicit. Civis voluntarius est qui per Assumptionem, aut Incolatum talis est effectus. Quamvis enim accurate loquen-

do Civis & Incola differant. *Anton. Cap. Dec. 162. n. 17.* hæc ta-
men differentia hodie apud nos non ita stricte attenditur. *Mevius.*
p. 2. dec. 162. n. 6. & ad Jus Lub. p. 1. tit. ad rubr. & art. 2. Et qui-
dem Assumptio plerumque ex albo civium constat. Videndum
igitur quomodo quis Incola præsumatur. Hoc vero ut eo melius
fiat, sciendum primo quid sit *Incola*. Hic definitur *qui in aliqua ci-
vitate domicilium constituit. l. 7. C. de incol.* Ut igitur Incola quis
æstimetur de Domicilio inquirendum. Ad Domicilium autem
duo requiruntur, ipsa nimirum Actualis Habitatio, & Animus per-
petuo subsistendi. *d. l. 7. C. de incol.* Et quidem de actuali habita-
tione facile constat, de animo non item. *Struv. Exerc. 50. th. 52.*
Colligendus itaque hic animus est, vel ex expressa inhabitantis de-
claratione, cum ipsa in habitatione & facto conjuncta, vel ex urgen-
tibus Conjecturis. Cujusmodi sunt 1. Si quis cum familia alicubi
subsistat, & rerum domesticarum plenariam administrationem in-
stituatur. *l. 203. de V. S.* 2. Si quis majorem partem bonorum eo,
quo vivit, loco habeat. *l. 2. C. ubi Sen. & viri clariss.* 3. Si quis as-
sidue & diu in loco habitaverit. *d. l. 2.* Quibus conjecturis locus
est nisi de domicilio alibi constituto constet, aut ex singulari perso-
næ conditione contrarium appareat *Struv. d. l.* Colligitur deni-
que animus iste ex ordine & conditione personæ. Sic Senatores
in sacratissimâ urbe domicilium dignitatis habere videntur. *l. 9. C.*
de incol. l. 11. ff. de Senat. Clericus in loco beneficii, quod residen-
tiam requirit, domicilium censetur habere. Miles, nihil in patria
possidens ut civis, in loco ubi meret domicilium habere videtur. *l.*
23. ad municip. Verû istiusmodi ordinis aut dignitatis personæ non
statim ob incolatum suum cives fiunt. *Struv. Exerc. 9. th. 22. 23.*
24. 25.

LVII. Dispiciendum hic etiam venit quando quis civitatem seu
civitatis jura amisisse præsumatur. Quod communiter Doctores
fieri asseverant tum cum quis domicilium mutat. *Menoch. lib. 6.*
pres. 30. num. 31. 32. 33. Ut autem domicilium mutatum dicatur
itidem duo requiruntur, translata scilicet habitatio in alium locum,
& animus non in priori sed hoc loco domicilium habendi. *l. 20. ad*
muni-

municip. Cum autem mutatio domicilii non præsumatur, *Menoch.*
lib. 6. præf. 42. num. 13. ideo quia in genere mutatio non præsumi-
tur, hinc is qui domicilium asserit mutatum, hanc mutatam habita-
tionem, & hunc animum probare tenetur. De habitatione iterum
res est expedita, animus vero probatur & præsumitur vel ex ipsius,
habitationem alibi constituentis, expressa declaratione, facta per
resignationem prioris domicilii, vel ex conjecturis, v. g. si ex loco,
quo habuit domicilium, cum familia recedit translatis rebus suis,
aut majori fortunarum parte. Si res, quas habuit, immobiles, in
loco, ubi prius habitavit, vendidit. Denique si in loco altero per
decennium commoratus fuerit. *Struv. Exerc. 9. th. 32.*

LIIIX. Ex dictis jam satis liquet, quando quis peregrinus sit cen-
sendus, qui enim nec civis, nec incola est, peregrinus sit oportet.

LIX. Ratione Familiæ distinguntur homines quod vel sint om-
nino diversarum familiarum, & personæ extraneæ, vel ejusdem
familiæ, & tum quidem vel communi vel proprio jure. Commu-
ni jure familiam constituunt, sive communis familiæ esse dicun-
tur omnes agnati, licet singuli propriam alant familiam. *l. 195. §. 2. de V. S.*
Proprio jure, sive propriam familiam constituunt, perso-
næ plures sub unius potestate aut natura aut jure subjectæ. *l. 195. §. 2. d. 1.*
ut sunt 1. Pater familias, Filius f. & Filia f. *d. §. 2.* Maritus &
Uxor. 3. Dominus & Servus. Pater familias dicitur is qui habet
jus familiæ, & de quo negatur subjectio, cum suæ potestatis sit, sive
familiæ jam actu imperet, sive non. *l. 4. de his qui sui vel al. l. 199. §. 2. de V. S.*
Perinde sese res habet in Matrefamilias. *d. l. 4.* Filius-
familias dicitur qui est in familia & potestate patris, & inde jura
familiæ participat. *d. l. 4. l. 19. de statu hom.* Nemo autem esse po-
test in familia & potestate patris, nisi sit Legitimus. Et quidem
Legitimus est talis vel Natura, sc. ex Nuptiis, *l. 6. de his qui sui vel al.*
vel Jure, eoqve aut adjuvante naturam, per Legitimationem,
§. f. l. de nupt. vel imitante, per Adoptionem. *§. 4. l. de adopt.*
Spurii vero vulgo quæ sit: & similes patrem demonstrare non pos-
sunt, cum is tantum civiliter dicatur pater, quem justæ nuptiæ de-
mon-

monstrant, l. 5. de in jus voc. & per consequens non sunt in familia.

LX. Nuptiæ five Matrimonium quidem regulariter non præsumuntur, cum sint res facti, sed illas asserens celebratas id probare tenetur. *Menoch. lib. 3. præf. 1. num. 1.* Præsumuntur tamen (1.) quando inter aliquos jam contracta sunt sponsalia defuturo, & deinde secuta est copula carnalis. *cap. 30. X. de spons. & marr.* Quod tamen quomodo limitetur vide *Menoch. d. l. n. 26. 29. 42. 48.* (2.) Quando sponsus sponfam in propriam deduxerit domum; quæ domicilium exinde matrimonii appellatur. l. 5. de ritu nupt. (3.) Sponsalia defuturo in matrimonium transiisse videntur ex conjecturis & signis, ætate perfecta supervenientibus. *Menoch. d. l. n. 59.* (4.) Quando una simul vir & mulier habitarunt, l. 24. de ritu nupt. secus est de jure Canonico. c. 9. 10. 11. q. 5. XXX. *Alciat. reg. 2. præf. 5. n. 1.* (5.) Quando vir & mulier contraxerunt matrimonium sub conditione, deinde carnali copula se junxerunt, tum enim pro matrimonio est præsumendum, quia videntur à conditione apposita recessisse. *cap. 6. X. de cond. app.* (6.) Quando vir & mulier se invicem conjuges appellarunt, vel maritum & uxorem, five denominatio illa viva voce five litteris facta fuerit. *Menoch. d. l. n. 85. 89.* (7.) Quando in istrumento dotis expressum, fuit nuptias fuisse contractas. *Menoch. d. l. n. 90. 91.* (8.) Quando mulier incedit vestibus honorificis, quibus uxores certarum personarum incedere solent, ita ut aliis ejusmodi habitus nec conveniat, nec concedatur. *Menoch. d. l. n. 93.* (9.) Ex vicina fama. c. 11. X. de præf. (10.) Nonnunquam ex annuli traditione, immissione, aut gestatione. *Menoch. lib. 3. præf. 2.* (11.) interdum ex verbis sponsalibus adhibitis. *Menoch. lib. 3. præf. 3.* Adoptio itidem & Legitimatio eadem de causa, qua Nuptiæ, regulariter non præsumuntur. *Menoch. lib. 6. præf. 55. num. 10.*

LXI. Legitimus autem esse præsumitur qui natus est ex uxore illius viri, quem patrem suum esse asserit, & cum qua vir ille tempore conceptionis moratus est. l. 6. de his qui sui vel al. Quæ tamen præsumptio nonnunquam eliditur ob infirmitatem aut valetudinem
mariti

mariti. *d. l. 6.* (2.) Ex assertione parentum filium suum, & quidem non incidenter legitimum appellantium. *Menoch. lib. 6. pres. 54 n. 33.* (3.) Si pater vel mater tractarunt filium ut legitimum. Ut, *isi legato facto dixerint: lego unum florenum filio meo Titio pro legitima jure natura illi debita.* Legitima namque à patre non debetur nisi legitimo. *Masc. concl. 798. n. 10. 11.* (4.) Ex communi voce, aut fama populi vel vicinorum. (5.) Ex instrumento antiquo in quo quis legitimus asseritur (6.) Ex sententia judicis, qua filius, tanquam legitimus, missus est in possessionem bonorum. *Menoch. lib. 6. pres. 54. num. 41. 42. 43. 44.* In genere notandum quod in dubio filius ex justo matrimonio, adeoque legitimus præsumatur, quia præsumtio fieri debet in meliorem partem. *Menoch. d. l. n. 17. Mascard. concl. 799.*

LXII. Dictum est *ib. 59.* communis familiæ esse agnatos. Cum autem sæpe eveniat ut agnatus contra agnatum actione præjudiciali agat, ad id ut talis agnoscatur, familiæque jura participet; idque præsertim quando de aditione alicujus hereditatis agitur; videamus quibus ex signis cognatus quis esse præsumatur. *Menochius lib. 6. pres. 15. n. 48.* agnationem præsumi dicit ex identitate nominis. Nisi ipsi agnationem & familiarum cognomini adjunctæ sint qualitates quæ ipsarum agnationum & familiarum pluralitatem designant. Uti in familia *de Fontana* una appelletur *Fontana de Paveris*, altera *de Arcellis*. Idem procedere videtur in insignibus. Quamvis autem identias nominis & insignium aliquid faciat in genere ad præsumtionem familiæ, ubi tamen in specie constare de ordine & proximitate in familia debet, identitas nominis parum efficit

LXIII. Ratione dignitatis quæritur an aliquis nobilis præsumatur? Et respondetur nobilitatem regulariter non præsumi: nobilitas enim non est à natura insita sed adventitia qualitas, quæ, utpote accidens, non præsumitur, sed illius probatio incumbit asserenti *Alciat. reg. 2. de pres.* Quod tamen declaratur ut locum non habeat quando quis se fundat in ignobilitate adversarii, qui se gerit pro nobili, tum enim illam ignobilitatem asserens probare tenetur:

E

quo-



quoniam adversa pars est in possessione, vel quasi, Nobilitatis, ac pro possessore militat præsumtio. Hic autem est præsumtionis effectus, quod onus probandi transferat. *Tyraquel. de nobil. cap. 10. num. 14. Masc. de prob. concl. 1094. n. 3. (2.)* non procedit quando quem natum esse constat ex parentibus nobilibus *Tyraquel. de nobil. cap. 20. n. 2. (3.)* non procedit quando quis habet qualitatem inhærentem ex qua præsumitur nobilitas. Ut si habet Ducatum, Marchionatum, Comitatum, vel aliam similem dignitatem *Masc. d. concl. num. 5. (4.)* Limitatur in eo quem communis hominum æstimatio nobilem putat. *Masc. d. concl. n. 8.*

LXIV. Circa paupertatem & divitias notandum est, quod olim dives præsumatur etiam hodie dives, & hodie pauper retro semper etiam in paupertate fuisse. Idque ideo, quia res præsumitur in eodem statu. Et hæc quidem ita se habent quando agitur de tempore præterito ad præsens. Sed ubi nihil allegatur de præterito, & simpliciter agitur de præsentis, non præsumitur aliquis nec dives nec pauper, sed alterutrum asserenti incumbit probatio. Hinc qui à tutela se excusat propter paupertatem, allegatam hanc paupertatem probare debet. *§. 6. l. de exc. tut.* Et qui alium rejicit ut pauperem, egestatem illius probare tenetur. *l. 31. §. 5. de reb. aut jud. poss.* Sicut & patronus facere debet qui propter paupertatem alimenta à liberto desiderat. *l. 9. de agn. & al. lib.* Sic è contrario qui dicit collegam tempore finiti officii divitem fuisse, id demonstrare tenetur. *l. 3. C. de prob. Alc. reg. 2. præf. 27.*

LXV. Ratione denique vitæ & mortis sciendum quod mors non præsumatur, ideoque qui aliquem vita defunctum asserit, id probare debet. *l. 2. §. 4. test. quem. aper. Masc. concl. 78. n. 14. concl. 1073. num. 1. Sincelshaus obs. 100. n. 26. & seqq.* Probatur autem mors absentis vel vere per testes aut instrumenta, vel præsumtive per conjecturas & probabiles rationes. *Richter conf. 64 n. 17. v. 2.* Testes probant quod interfuerint sepulturæ, aut ipsum exanime cadaver viderint ac conspexerint. *Masc. concl. 1075. n. 2. Carpz. p. 1. c. 16. d. 38. n. 6.* Documenta sunt potissimum libri Ecclesiarum in quibus nomina mortuorum describi solent. *Carpz. d. l. n. 2. Masc. d. l. n. 4.*

d. l. n. 4. Probatur etiam per nuntios & exploratores à iudice mis-
sos. Richter conf. 64. n. 22. v. 2. Conjecturæ ex quibus mors
præsumitur sunt variæ vel enim colligitur ex diutina absentia illius
qui mortuus dicitur, vel ex constitutione corporis & ætatis qua fuit
cum discessit, vel ex loco contagioso aut periculoso in quo quis de-
git, vel ex bello vel ex itineris difficultate, etiam ex fama aliisque
circumstantiis. Vide Carpx. d. l. Masc. O Menoch Non vero proba-
tur per hoc quod quis per paucos annos absuerit. Licet enim l. 6.
de divort. & repud. quadriennium sufficiat ad præsumendam mor-
tem, ad hoc ut mulier ad secundas possit transire nuptias. Tamen
hoc correctum est in auth. Hodie C. de repud. & cap. 19. X. de
sponsal.

LXVI. Controverti hic solet an homo centum annos vivere
præsumatur. Menochius lib. 6 præf. 49. illud negat, & quidem
tali argumento. Qui nec præsumptione hominis, nec juris, nec juris &
de jure centum annos vivere præsumitur, ille nullo modo centum
annos vivere præsumitur: Atqui homo nec præsumptione hominis,
nec juris, nec juris & de jure centum annos vivere præsumitur, E.
homo nullo modo centum annos vivere præsumitur. Major est
clara cum omnis præsumptio ad enumerata tria membra referenda
sit. Minor per partes probatur. Imprimis non præsumptione homi-
nis quia præsumptio hominis nititur verosimilibus, at hominem vi-
vere centum annos non nititur verosimilibus, E. hominem centum
annos vivere non præsumitur præsumptione hominis. Minor pro-
batur ex eo quia inter innumeros vix ullus ad eam annorum quan-
tatem vivendo pervenit. Et licet unus vel alter tot annorum æ-
vum expleat, tamen exinde regula confici nequit. Regula enim
ut universalis sit non ex uno vel altero aliquo actu singulari, sed ex
multis formari debet. Deinde nec est præsumptio juris aut juris &
de jure, quia nulla lege, ut ita præsumatur, cautum est. Nolunt
admittere hanc rationem adversarii, & in contrarium proferunt
l. 56 de usufr. ubi Cajus ait usumfructum civitati relictum extingui
spatio centum annorum, idque ideo quia is finis vitæ longævi ho-
minis est. Sed respondet Menochius: Exinde quidem inferri ho-



minem non præsumi vivere ultra centuum annos, non tamen exinde sequi hominem centum annos vivendo implere. Concluditur igitur in contrarium, & dicit: Hominem non præsumi vivere centum annos. Quod si tamen aliæ etiam circumstantiæ concurrant, & agatur de insigni præjudicio ac irreparabili damno absentis non statim mors probata dicitur, si forte asseratur quod quis ante nonaginta novem annos natus sit. Nam possibile est ut quis ultra centum annos vivat; uti de Zosino testatur *N. s. c. 2. §. 1.* quod is centum viginti annos vixerit. *vide Sincelth. Obs. 100.*

LXVII. Quæritur ulterius quod si plures eodem tempore mortui sint, quis prius quis posterius decessisse præsumatur. Communiter respondetur eum prædecessisse præsumi qui est infirmior: Et pro asserti sui confirmatione adducunt *l. 23. §. 1. de reb. dub.* Alciatus vero *reg. 2. præf. 49. n. 5.* certis rationibus motus putat legem nihil præsumere hocce in casu, sed quando prius aliquem decessisse sit fundamentum intentionis cujusdam, eum id probare teneri. Menochius controversiam hanc per octo distinctos casus late proponit & decidit *lib. 6. præf. 50.*

LXVIII. Perspectis iis quæ de personis præsumuntur quædam quæ de rebus præsumi solent modo discutiamus. Sunt autem res vel in patrimonio vel extra patrimonium *pr. l. de R. D.* In patrimonio potissimum sunt illa circa quæ jus in re habemus. Jus in re est facultas jurer competens, quæ ipsi rei inhæret, adeoque actionem ipsam rem sine personæ obligatione prosequentem producit. Hoc jus in re varie à variis dividitur Secundum Struvium *l. P. R. G. l. 2. r. 1. tb. 14.* tres illius sunt species: Dominium sc. jus Pignoris, Jus Possessionis. Dominium distinguitur in Universale quod est Jus Hereditatis & Singulare, quod iterum vel est rerum Corporalium, & appellatur Dominium proprie sic dictum, aliud Incorporalium, Jus servitutis *l. 13. §. 1. C. de judic.* Quoniam autem satius est singulas res suis nominibus appellare ideo cum B. Hahnio quinque species *dd* statuere solent 1. Hereditas 2. Dominium. 3. Servitus. 4. Pignus. 5. Possessio.

LXIX. Circa Jus Hereditarium notandum quod heres talis fit vel

vel ex testamento, vel ab intestato. § f. I. per quas pers. cuique
acq. Si ex testamento tunc quæritur an præsumptiones sufficiant ad
inducendam heredis institutionem? Alii id affirmarunt, alii ne-
gativam obtinere sententiam. *Mantica de coniect. ult. vol. l. 2.*
t. 4. n. 2. lib. 4. tit. 2. n. 36. Alii denique (cum quibus & Meno-
chius sentire videtur) distinxerunt: Præsumptiones vel colliguntur
ex verbis scriptis in testamento, vel non colliguntur. Si colligun-
tur, tunc sufficiunt ut heredis institutio inducatur. Et hæc, quæ ex
verborum consequentia oritur, tacita institutio dici solet. *l. ult. C.*
de hered. instit. & ibi Bald. circapr. in vers. nota tacitam institu-
tionem valere. Sic *l. 37. § 1. de hered. instit.* institutio colligitur
ex substitutione facta, quæ sine ipsa institutione stare non potest.
Interdum etiam filius à lege, ex conjectura voluntatis, tacite in te-
stamento intelligitur heres institutus, ita ut non dicatur præteritus.
l. 3. C. de inoff. test. *Mantica de coniect. ult. volunt. lib. 4. tit. 1. n. 10.*
Si ex verborum consequentia aut lege non colligitur institutio, nec
illa erit præsumenda. *l. un. si tab. test. ext. Menoch. lib. 4.*
pres. 19.

LXX. Heredis institutio est vel prima, quæ in specie heredis Insti-
tutio dicitur, vel Secunda quæ Substitutio appellatur. *Struv. E-*
xerc. 33. th. 9. Hæc Substitutio vel est Vulgaris vel Pupillaris. *rubr.*
de vulg. & pup. subst. Pupillaris est vel Expressa vel Tacita. *l. 4. ff.*
d. t. l. 4. C. de impub. & al. subst. Vulgaris fit in eum casum si pri-
mus heres non fuerit, vel quod non potuerit, vel non voluerit. Si
igitur testator unum casum tantum expresserit in dubio præsumitur
alterum subintellexisse. *Franc. Barry de succes. lib. 3. tit. 2. n. 5.*
Trantacinq. tract. de substitutionibus p. 1. c. 1. n. 25. *Dn. Hahn ad*
ves. parat. de vulg. subst. n. 4. Pupillaris est quæ fit eum in casum,
si pupillus ante pubertatem decesserit. De hac præsumitur quod
testator eam quoque de casu vulgaris substitutionis intellexerit, & si
testator suo here. i vulgariter substituerit, quod & pupillariter sub-
stituisse ceseatur, nisi ex circumstantiis contraria appareat voluntas.
Struv. Exerc. 33. th. 22.

LXXI. Heredis institutio iterum est vel Directa vel Fideicom-
mis-

missaria. Ubi observandum bona in dubio præsumi libera relicta à testatore, non autem onere fideicommissi & restitutionis gravata. *Menoch. lib. 4. præf. 67. n. 1.* Cujus ratio est quia heres est dominus. *§. ult. l. de her qual. & diff.* dominio autem repugnat non esse rei suæ moderatorem ac arbitrum. *l. 21. C. mand.* & iniquum est ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. *l. 2. si à par. quis man.* Ab hac regula tamen certas ob præsumptiones in contrarium vergentes interdum receditur *Menoch d. l.*

LXXII. Institutioni heredis opponitur Exheredatio, ubi si quaeratur an præsumtionibus induci possit, eadem distinctione, qua in *l. 69.* utendum esse docet *Menoch. lib. 4. præf. 30.*

LXXIII. Quando paterf. nullum condidit testamentum, sed intestatus decessit, tunc lex præsumit & simul disponit quod defunctus voluerit ut proximus agnatus vel cognatus sit heres. *l. 7. de bon. damn.* Quod *Grotius lib. 2. c. 7. n. 3. de Jure B. & P.* optime explicat dicens: *Successio, ab intestato qua dicitur, ex conjectura voluntatis naturalem habet originem. Nam quia dominii ea vis erat, ut domini voluntate transferri in alium possit, etiam mortis causa ac retenta possessione, si quis voluntatis suæ nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non esset, eum mentis fuisse, ut post mortem suam bona occupanti cederent, sequebatur ut ejus esse bona intelligerentur, cujus ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile. Defunctorum voluntatem intellexisse, inquit *Plinius junior, pro jure est. Creditur autem in dubio id quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est. In hoc autem genere prima est causa quod debetur, proxima ejus quod, et si non debetur, officio congruit.**

LXXIV. Hereditas ita ex testamento aut ab intestato delata, vel accipitur vel non. Utroque casu distinguendum est an Suus, an vero Extraneus heres sit. Si Suus est dicitur *Immiscere* sese hereditati aut eam *Abstinere*. si Extraneus *Adire* vel *Repudiare* hereditatem dicitur. *l. 7. §. 9. de min* Immixtionem vel Aditionem quod attinet, non præsumitur quis immiscere se hereditati vel eam adire, ideo quod facta sint. *l. 2. de arg. her.* Et hæc quidem est regula, à qua

qua tamen receditur quando ex verbis & factis contrarium præsumere licet. Menoch. lib. 4. pres. 99. 100. & 101. Masc. concl. 40. 41. §. 42. Idem obtinet circa Repudiationem & Abstinentionem.

LXXV. - Dominium in specie sic dictum aliud est *Supereminens*, aliud *Privatum*. Supereminens alio nomine Superioritas territorialis appellatur. Deque tali territorio ejusmodi axioma traditur: Quidquid intra fines territorii universalis est, hoc illius esse præsumitur cujus est territorium. *Barb. cap. 11. ax. 1.* In individuo enim jure territorii eadem debet esse ratio omnium partium, quia non magis vera esse potest in toto quoad totum, quam in parte quoad partem, ut ait Baldus in *l. à Procuratore C. mandati*. Et is qui in toto se fundat, videtur etiam in qualibet parte fundatam habere intentionem. *l. 1. §. 4. de off. pres. urb.* Quia enim territorium est universitas. *l. 239 §. 8. de V. S.* præsupponit etiam & comprehendit omnia illa quæ sunt intra fines suæ universitatis, adeoque recte à continente ad contentum argumentatio procedit.

LXXVI. Huc quodammodo spectat Jurisdictio, quamvis Jurisdictionis utpote rei incorporalis non sit dominium stricte sic dictum. Fons Jurisdictionis est suprema potestas. *Arist. 4. pol. 14.* Communicatur tamen jurisdictio ut aliquis vel tanquam minister majestatis eam exercent, vel ut habeat sibi propriam & in bonis. Illa magistratui competit, hæc vero dicitur *patrimonialis* quoniam est in bonis. *Struv. Exerc. 4. th. 80 & 81.* Quæ Magistratui competit Jurisdictio est vel Ordinaria vel Extraordinaria. *Struv. d. exerc. th. 52.* De utraque notandum quod regulariter non præsumatur sed probari debeat. *Menoch lib. 2. pres. 14 & 15.* Ordinaria est vel Propria vel Non propria. Non propria vel Prorogata *l. 18. de jurisd. l. 1. C. d. r.* vel Mandata. *rubr. de off. e. us cui mand. est u. r. d.* Prorogata vel Legalis vel Spontanea. *Struv. Exerc. 4. th. 59.* Spontanea vel Tacita vel Expressa. Hæc Tacita præsumitur ex liti contestatione illius, qui forum declinare potuisset. *l. 2. de jud. Menoch. lib. 2. pres. 19.* Mandata si fuerit jurisdictio tum vel in genere

genere vel unus tantū jurisdictionis actō mandatur. *l. 16. 17. de jurisd.*
Si in genere tum quæritur an omnia illa mandata præsumantur quæ
ad illū, qui jurisdictionem habet, pertinent, quod negatur per *l. 4. pr.*
de off. ejus cui mand. est jurisd. ex qua perspicere licet quædam spe-
ciale mandatum requirere. Hæc tamen sine quibus mandata ju-
risdictio expediri non potest, mandata censentur. *l. 2. ff. de jurisd.*
Extraordinaria itidem non præsumitur, sed probanda est. *Menoch,*
lib. 2. tit. 15.

LXXVII. Jurisdictio patrimonialis dividitur in Superiorem &
Inferiorem. Ubi quæritur an concessa jurisdictione patrimoniali
in genere, Superior etiam concessa præsumatur. Quod negat
Struv. Exerc. feud. 6. th. 8. Inspici tamen hic debent 1. litteræ in-
vestituræ. 2. mos concedentis & 3. mos regionis. Sæpissime e-
nim ex circumstantiis apparet quod generalis concessio etiam con-
tineat jurisdictionem superiorem. Quæritur itidem an jurisdic-
tio patrimonialis à superiori concessa præsumatur privative an
cumulative collata. *Menochius lib. 2. præf. 18.* per varios casus
hanc quæstionem ventilat. *Struvius* nec privative nec cumulati-
ve sed subordinate eam concedi probat. *d. l.*

LXXIIX. Dominium Privatum est vel Revocabile vel Irrevoca-
bile, Plenum vel Minus plenum. Minus plenum iterum est vel
Directum vel Utile. Utile habet Vasallus, Emphyteuticarius & Su-
perficiarius. Circa feudum statim controversia occurrit, An sc.
in dubio res allodialis an vero feudalis præsumatur? Et allodiam
præsumi probat *l. 2. §. 2. F. si de feudo def.* *Menoch. lib. 3. præf. 9.*
Quando autem constat rem non allodiam sed feudalem esse, tum
controvertitur utrum feudum hoc antiquum an vero novum præ-
sumatur? Et cum sententiis varietur aliis antiquum aliis novum,
præsumi stantibus, *Menochius* priori subscribit sententiæ *lib. 3.*
præf. 93. n. 8. Eapotissimum ratione motus, quod in dubio beni-
gniore sequi sententiam non minus justius quam tutius fit. *l. 56.*
l. 192 §. 1. de R. l. benignior autem sententia est quod feudum
sit antiquum, ob id quod admittentur agnati, qui alioquin essent
exclusi. *Menoch. d. l. n. 2.* Si tamen dominus est in possessione,
quasi

quasi feudum ipsi sit apertum morte vasalli, pro domino tanquam
possessore est præsumtio. Vult. de feudis c. 8 n. 8. l. F. 12. 2.
F. 15.

LXXIX. Ratione Emphyteuseos quæritur quando contractus in
dubio emphyteuticius, quando locationis præsumatur? Em-
phyteuticius præsumi dicit Menoch. lib. 3. præf. 105 ex perpe-
tua concessione n. 7. extenui minimeque fructibus respondente
pensione, quam canonem vocant. ex laudemio præstando n. 7.
Ex sola autem perpetuitate, aut longinquitate temporis non temere
debet præsumi emphyteusis. vid Mantica de Tac. & amb. conv. lib.
22. tit. 8. per tot Controvertitur item utrum contractus in dubio em-
phyteuticius an vero censualis præsumatur. Censualem præ-
sumi probatur ex eo quod in dubio id quod minimum sequendum,
l. 9. l. 34. de R. I. reg. 30. in 6to de R. I. est autem respectu emen-
tis minoris præjudicii censum quam emphyteusin esse. In censu
enim pena caducitatis, aut devolutio non facile admittitur: Man-
tic. d. l. tit. 3. Menoch. lib. 3. præf. 4. Vigel Meth. Juris Controv.
lib. 2. c. 11. litt. E.

LXXX. Dominium Revocabile habet maritus in dote uxoris.
Uxor enim in casum soluti matrimonii dotem sibi reddi stipulata
præsumitur. l. un. §. 13 C. de rei ux. act. Imo ipso jure post mor-
tem mariti fundi dotalis dominium ad mulierem revertitur. Struv.
Exerc. 30. th. 31. Item Emtor, qui sub pacto de retrovendendo, legis
Commisoriae & interdum Additionis in diem emit, dominium
revocabile habet. Struv. Exerc. 23. th. 30. 36 41. De dote quæri-
tur, si mulier, nulla dotis mentione facta, maritum omnibus bonis
suis frui sinat, an eo ipso doti dedisse omnia bona præsumatur?
Quod negatur. Struv. Exerc. 30. th. 6. Cum enim mulierum ge-
nus avarum sit, l. 4. ad SC. Vell. non præsumitur de illo magna
liberalitas. l. 33. §. 1. de donat. int. vir. & ux. Quod si indefinite
dos fuerit à patre promissa, intellecta præsumitur dos congrua. l.
69 §. 4. de jure dot.

LXXXI. Modi acquirendi dominium sunt vel Naturales vel Ci-
viles ut Usucapio sive Præscriptio de qua sciendū quod non præsu-
matur. cap. 1. in 6to de præscr. idque ideo quod præscriptio domi-
ni negligentiam quodammodo præsupponat. cap. 5. X. de præscr.
quæ, quia præsumtio in meliorem partem fieri debet, non præsumitur.

F

Acce-

Accedit quod præscriptio sit res odiosa, *Barb. cap. 64. ax. 6. O-*
dia autem restringi oportet. reg. 15. de R. I. in 6to Menoch. lib. 6.
pr. 33.

LXXXII. Modos acquirendi Naturales quod attinet, dominium
vel noviter, nemine scilicet in alterum transferente, acquiritur,
l. 1. §. 1. de acq. vel am. poss. vel ex domini prioris voluntate in
alium transfertur §. 41. l. de R. D. Et tum quidem vel in personam
certam mediante traditione, *§. 40. & seqq. d. t. vel in incertam*
§. 45. 46. d. t. Traditio, cum factum sit, non præsumitur. *Barb. lib.*
18. cap. 24. ax. 3. Quod si vero sciens rem suam ex justa & ad trans-
ferendum dominium habili causa tradiderit dominium translatum
præsumitur. *Masc. concl. 1196. n. 19.* In Emptione vero non cen-
setur translatum dominium, nisi pretium sit solutum, vel venditor
fidem de pretio sit secutus. *§. 41. l. de R. D.* Præterea traditio
facta ex contractu simulato & ipsa simulata præsumitur. *Masc. concl.*
1196. n. 9. & 13. Quia cum sit accessoria ad principalem contra-
ctum, naturam sequi debet sui contractus, juxta *reg. 42. in 6to de*
R. I.

LXXXIII. Acquiritur porro dominium vel per nosmet ipsos, vel
per personas nostræ potestati subjectas. Potestati nostræ subjecti
sunt liberi, servi, & quodammodo uxores. De servis & liberis
nihil hic attinet dicere de uxoribus tamen notandum, quod res ab
ipsis constante matrimonio quæsitæ, præsumantur mariti. *l. 6. C. de*
donat. int. vir. & ux. Idque ideo ne aliquid ex turpi lucro ad eam
pervenisse putetur. *Brunn ad. d. l.*

LXXXIV. In genere vero dominium probatur & præsumitur ex
testium depositione, *l. 12. C. de prob. ex instrumentis l. 4. d. t. non-*
nunquam ex possessione l. 42. de R. V. ex confessione & recogni-
tione, Menoch. lib. 6. præf. 63. n. 22. ex locatione & conductione,
n. 28. ex catastro æstimique libris, n. 32. per librum census, n. 36. per
colutiones census jam factas, n. 37. ex perceptione fructuum, n. 49.
ex signo quo res aliqua signata est, n. 44. ex fama, n. 45. per pro-
clama quod possessor fieri curavit, ut si quis prætendat aliquid jus
in tali re, compareat intra certum terminum, quo elapso, si nemo

COM-

comparuit, res præsumitur possessoris *n. 52.* Ex sententia pro possessore lata *n. 66.*

LXXXV. Sequitur dominium rerum incorporalium sive servitus, quæ consideratur vel ratione constitutionis, vel amissionis. Ratione constitutionis notandum quod servitus non præsumatur, sed probanda sit, ideo quia quælibet res præsumitur libera, ob id quod naturalis rei conditio ab initio libera est. *arg. pr. l. de libert. l. 4. de l. & l. Gail. lib. 2. obs 69.* Circa amissionem servitutis oritur quæstio, si duæ servitutes ab eodem prædio uni debeantur, an tunc, unà remissa, & altera remissa præsumatur? quod negatur, *l. 20. de S. R. P. l. 21. de S. U. P.*

LXXXVI. Absolutis domini in genere sic dicti speciebus, pergitur ad Jus Pignoris. Et dicimus quod remissio pignoris non præsumatur. *Menoch. concl. 1173.* Idque ideo quia remissio est donatio, *l. 23. de donat. arg. l. 82. de R. l. l. 214. de V. S.* donatio autem non facile præsumitur, cum non probabile sit quæmpiam pecunias suas jactare & indebitas effundere. *l. 25. de prob.* Et hæc quidem est regula, quæ tamen suas habet exceptiones, creditor enim remississe præsumitur pignus, (1.) quando permittit pignus alienari. *l. 4. §. 1. quib. mod. pign. solv.* (2.) quando creditor debitori instrumentum, pignoris obligationem continens, reddit. *l. 7 C. de remis. pign.* (3.) quando creditor permittit debitori ut rem sibi oppignoratam oppignoret alteri. *l. 12. quib. mod. pign. solv.* (4.) quando creditor debitori rem oppignoratam reddit. *Masc. d. concl. n. 45.* (5.) facta novatione, pignora enim non præsumuntur repetita in obligatione novante. *l. 18. de nov.* (6.) si testator legaverit centum Sempronio, & pro eo legato obligaverit aliquid ei pignori, si testator id postea alienavit, ipsum jus pignoris in eo constitutum revocasse præsumitur; ideo quia res præsumitur vendi libera. *l. 42. de act. emt. & vend.*

LXXXVII. Restat ultima species juris in re Jus sc. Possessionis, ratione cujus quilibet jure suo, non alieno, quod possidet, possidere præsumitur, quia homo sua libentius quam aliena tractat. *arg. l. 4. de solut.* Possessio item facit præsumtionem pro possidente, *l. 126.*

§. 2. l. 128. l. 154. de R. J. reg. 65. d. t. in 6. & ideo onus probandi transfertur in adversarium, l. 14. de prob. cap. 18. X. de rest. spol. & si is non sufficienter probaverit, res apud possessorem remanet, licet is nihil probaverit. l. 2. C. de prob. l. 28. C. de R. V. l. 4. C. de edendo. Porro in dubio quilibet bona fide præsumitur possidere l. 51. pro soc. : præsumtio namque debet fieri in bonam partem. Denique possessor olim & hodie possessor præsumitur ideo, quia res præsumitur in eodem statu.

LXXXIIX. Haftenus de rebus quæ sunt in patrimonio privatorum sequuntur res quæ sunt extra patrimonium, utpote sacræ, sanctæ, religiosæ, item res nullius quæ tamen alicujus esse possunt. Sacræ res quanam sint ex Institutis & passim notum. Quoniam autem non nisi publice, rite ac solenniter res sacræ fiunt, & ex commercio hominum eximuntur, apparet quod in dubio non præsumantur, nec ex re profana sacra facta censetur: si tamen constet quod res publice ad usus sacros sit adhibita, licet non constet de solenni consecrationis ritu, præsumtio est pro re sacra. arg. l. 30. de V. O. Sic etiam si res sit talis qualis ad sacros usus adhiberi solet, & in loco sacro inveniatur, res sacra esse præsumitur. arg. d. l.

LXXXIY. Rebus sacris accensentur res Ecclesiasticæ & Jura parochiarum, quibus autem modis res præsumi potest quod sit in dominio privati. iisdem modis potest fieri præsumtio quod Ecclesiæ sit quæ sita, & quicquid est intra fines parochiæ hoc censetur de corpore parochiæ. vide Speidel. in notab. verb. : Pfarr. Potest etiam res Ecclesiastica fieri per legatum. Quando igitur testator simpliciter legavit Ecclesiæ, nullo expresso ejus nomine, præsumitur reliquisse parochiali sui domicilii. Menoch. lib. 4. præf. 114. n. 2. Et si testator aliam habuit parochialem tempore conditi testamenti, aliam tempore mortis censetur testator mutatione domicilii legatum transtulisse in novam parochialem. Si autem tempore mortis duas habuit Ecclesias parochiales, præsumitur hoc legatum reliquisse illi quam magis amavit; & si de hoc non constet, illi Ecclesiæ, quæ est pauperior videtur legasse: & si utraq; Ecclesia pauper, monialium est præferenda. Maulius de legat. tit. 7. n. 25. Pertinet etiam huc legatum pauperibus & piis domibus relictum.

XC. Res:

XC. Res Sanctæ sunt quæ publica sanctione ab injuria & profanatione humana sunt exemptæ. Religiosæ res sunt loca in quæ cadaver humanum illatum est, ut ibi perpetuo requiescat. Cum autem non nisi facto humano res fiat sancta aut religiosa, in dubio res talis non præsumitur. Hodie ad sepelienda cadavera publica cœmeteria sunt destinata, & sunt quædam sepulchra Familiaria, quædam Hereditaria. Ubi interdum conjecturis assequi debemus an sepulchrum sit hereditarium an familiare.

XCI. Consideratis personis & rebus tandem etiam ad actus progredimur, ut, quid de iis præsumendum sit discutiatur. Sunt autem, actus vel Judiciales vel Extra judiciales. Actuum judicialium quidam judicium præcedunt, quidam in ipso judicio fiunt, quidam judicium subsequuntur *Struv. Exerc. 9. th. 68.* Qui præcedunt vel sunt Substantiales vel Accidentiales. Substantiales sunt Citatio & confectio Libelli. Citatio in genere, cum factum sit, non præsumitur. *Menoch lib. 2. præf. 22* Quod si autem jam constet de citatione, tum quaeritur an petente actore facta præsumatur? quod affirmatur. Quia cum petitio actoris requiratur ad hoc ut citatio procedat. *Struv. Exerc. 5. th. 8.* præsumitur etiam intervenisse: omnia enim videnter solenniter acta. *l. 30. de V O.* Et Citatio facta ad domum citandi, dum præsentata personæ conjunctæ, præsumitur ad notitiam ipsius citati pervenisse. *Guid. Papa Dec. 445. Mich. Ferr. 3. Part. obs. c. 131.* Similiter citatio per publicum edictum, item per proclama, rite facta, ad notitiam citati pervenisse præsumitur, dum putatur quod vel ipse legerit, aut audiverit, vel ab amicis acceperit.

XCII. Libellum præsumi apte & rite conceptum tradit Menochius *Lib. 2. præf. 40.* Hinc libellum proponens in actione personali, præsumitur deduxisse omne jus sibi competens. *l. f. C. de ann. exc.* in dubio enim libellus interpretari debet juxta mentem libellantis. *l. 66. de jud.* mens autem libellantis creditur illa, ne libellus sit à se frustra porrectus, sed ut valeat, juxta *l. 12. de reb. dub.* Responsiones itidem libellis factæ, præsumuntur eo modo factæ, quo proposita fuit interrogatio *Menoch. lib. 1. præf. 29.*

XCIII. Actus, qui iudicium præcedunt Accidentales sunt Contumacia, Dilatio, Satisfactio, & Exceptiones Dilatoriae *Struv. Exerc. 9. th. 69.* Contumacia præsumitur ex eo si quis ter vel semel peremptorie citatus emanet, licet dolus non plene sit probatus. *Masc. concl. 449. n. 7.* Is autem qui vere contumax est semper habet contra se præsumtionem malæ causæ. *Alciat reg. 2 præf. 22 in f.* indeque pro consentiente vel negante in ejus præjudicium habetur, *l. 11. §. 4. de interr. in jure fac* adeo ut in crimine læsæ majestatis contumax ob hanc fictam confessionem etiam ad mortem condemnari possit. *Masc. concl. 1221. n. 84.* Similiter malam foveere causam præsumitur qui Dilationibus quærit iudicium subterfugere *cap. 4. X. de præf.*

XCIV. Opposita Exceptione dilatoria, quæ præjudicialis non est quando iudex procedit ad ulteriora, rejecta præsumitur illa exceptio. *Menoch. lib. 2. præf. 64. n. 10.* Quod tamen ita demum procedere volunt si ipse iudex cognoverit de exceptione illa, & pars fuerit citata ad illum actum quo dicitur procedi ad ulteriora. *Menoch. d. l. n. 12. §. 14.*

XCV. Actus qui in ipso iudicio fiunt itidem sunt vel Substantiales vel Accidentales. Substantiales sunt Litis contestatio, Exceptiones Peremptoriæ, Probatio, Conclusio causæ, & Sententia iudicis *Struv. Exerc. 9. th. 70.* Litis contestatio præsumitur ex directa responsione rei ad Libellum, vel actoris ad exceptionem; nisi id fuerit factum cum protestatione respondentis, vel aliud stylo iudicii obtineat. *Menoch. lib. 1. præf. 30.* Imo ex quibuslibet verbis aptis ad litis contestationem; Cum nemo dixisse aliquid præsumatur, quod prius mente non cogitaverit. *l. 7. de supell. leg. Menoch. d. l. n. 2.* Parit & hunc effectum litis contestatio, ut post eam in mala fide possessorem fuisse præsumatur, quasi à tempore litis contestationis scivisset, rem suam non esse, licet antea bona fide possederit. *l. 25. §. 7. de hered. pet.* Unde & à tempore litis contestatæ in fructus tam consumptos quam extantes instar malæ fidei possessoris condemnatur. *l. 25. §. 7. de usur.* Hoc tamen non ita stricte observandum, si pro reo adsint probabiles conjecturæ, quod per litis contestationem
non

non sit nactus læsam rei alienæ conscientiam. *Berlich. p. 1. D. 7. n. 7.*
XCVI. De Exceptione Peremptoria sicuti & in genere de omnibus
exceptionibus regula est *Exceptionem obijciens non præsumitur in-
tentionem adversarii fateri. reg. 63. in. 6. de R. 7.* Exceptio si ob-
jiciatur quæ in bonam & malam partem interpretari potest, potius
præsumitur in bonam partem, juxta regulam præsumtionum terti-
am *Masc. concl. 1005 n. 18.* Quod procedit, nisi actus, super quo
opponitur exceptio, prima fronte plus mali quam boni habeat, tum
enim potius malum præsumitur. *cap. 18. X. de accus. Masc. d. l.* Por-
ro excipiens, licet & juris præsumtionem pro se militantem habeat,
eam allegare debet. In his enim quæ facti sunt & privatum respi-
ciunt commodum, iudex irrequisitus nil supplet. *l. 4. §. 8. de
damn. inf.* adeoq; licet ex actis vel ex ipsa juris dispositione iudex
colligere præsumtionem queat, non tamen necesse habet in ea fun-
damentum constituere, nisi à litigante allegetur. *Alciat in l. cum
quid. n. 39. si certum pet.:*

XCVII. Sequitur probatio quæ est actus judicialis, quo per ido-
nea argumenta de facto aliquo controverso iudici fides fit. *Servus
Exer. 23. l. 2.* Argumenta illa vel sunt Artificialia vel Inarti-
ficialia. *Arist. 1. Rhet. cap. 2.* Artificialia sunt quæ arte & indu-
stria ex ipsa causa ejusque circumstantiis deducuntur. Inartificia-
lia sunt quæ ad fidem faciendam extrinsecus assumuntur. Cujusmodi
sunt Instrumenta & Testes. Instrumentum quod attinet, semper pro
illius veritate præsumitur *l. 3. C. de prob. l. 7. C. de pos. l. 13. C. de non
num. pec. l. 14. C. de contrab. & comm. stip.* Quibus ex conjectu-
ris vero instrumentum falsum præsumatur vide *Menoch. lib. 5. præf.
20 num. 7.* Præsumitur itidem solenne. *Menoch. lib. 2. præf. 44.
n. 2.* Is qui producit instrumentum præsumitur approbare vera
esse quæ in eo scripta sunt. *Menoch. lib. 2. præf. 45.*

XCIX. Instrumentum porro vel est publicum, vel privatum, *l. 5. C. de prob. l. 17. C. de fide instr. l. f. ff. d. r. l. 11. C. qui pot. in-
pign. N. 47. N. 49. cap. 2.* Publicum pro se habet magnam veri-
tatis præsumtionem. *l. 31. C. de donat. l. 15. C. de fide instr.* Estque
tale vel ob judicialem & similem authoritatem, *l. f. C. de re jud. l.*

30. l. 31. C. de donat. l. 10. ff. de prob. vel ob formam solennem adhibitam, quando nimirum per Notarium publicum confectum, l. 17. C. de fide instr. N. 44. pr. N. 47. pref. & si opus fuerit trium integræ fidei testium subscriptione munitum. l. 11. C. qui pot. in pign. add. N. 73. c. 1. 2. 4. 8. 9.

XCIX. Notarius imprimis nemo præsumitur, quia hæc est qualitas quæ cum ipso homine nata non est. *Menoch. lib. 2. pref. 78.* Nec præsumitur Notarius rogatus Masc. *concl. nox. Menoch. lib. 2. pref. 81.* Rogare enim est factum, factum autem, ut omnes concedunt, non præsumitur. Accedit quod rogare Notarium extrinsecæ sit solennitatis, quæ non præsumitur quando de magno præjudicio agitur. *arg. l. 13. §. 2. de publ. in rem act.* Quod si autem Notarium, & rogatum esse constat, tum præsumitur officio suo recte functus, *cap. 13. X. de prescr. Vide supra th. 50. ob rationem th. 46. allatam, & omnia voluntate partium scripsisse. Menoch. lib. 2. pref. 79. num. 2.* Et si instrumentum nullo visibili vitio laboret, habet pro se solennitatis præsumtionem.

C. Circa testes videndum quando veritatem non dicturi præsumantur, quod fit vel ratione personæ vel causæ. Ratione personæ primo propter ætatem non liquido veritatem scire præsumuntur impuberes. l. 3. §. 5. de test. Deinde ob morbum intellectum excludentem vel naturaliter, ut in furioso, *Struv. exerc. 28. th. 38.* vel moraliter, ut prodigo. §. 6. l. de testam. Ob fidem vero vacillantem licet sciant non tamen dicturi videntur Servi, l. 8. l. 11. C. de test. In fames c. 13. X. de testib. De jure tamen civili non simpliciter infames à testimonio arcentur, sed tantum à certis negotiis probandis excluduntur. C. l. A. tit. de testib. *Brunn. ad l. 13. ff. de testib.* Nimia egestate laborantes, l. 3. pr. de testib. Infideles l. 21. C. de heret. Ratione causæ vacillare præsumuntur intimi & propinqui, *can. 12. q. 5. caus. 3.* inimici capitales, l. 1. §. 24. de quest. illi qui commodum exinde percepturi, aut damnum evitaturi sunt, l. 3. §. 9. de testib. l. 17. C. d. r. domestici, l. 24. de testib. t. 3. C. d. r. subditi & liberti in causa patroni *arg. d. l. 3. §. 5. l. 10. §. 4. de quest. l. 11. §. 1. de pæn. l. 6. §. pen. de his qui ad Eccles.* Testimonium vero jam depositum falsitatis arguitur ex eo quod vel testis sibi ipsi, vel testes

testes sibi invicem contradicunt. *l. 27. ad L. Corn. de fals. l. 16. de test. Menoch. lib. 5. pres. 23. lib. 2. pres. 55.*

CI. Conclusio causæ facta præsumitur, quando ad partium instantiam facta est citatio peremptoria & istæ comparuerunt ad audiendam sententiam. Quia tunc partes præsupponunt iudicem esse sufficienter instructum, & iudex id fateri videtur, cum alioquin sententiam ferre non posset. Dicitur ergo probationibus renuntiatum, & consequenter in causa conclusum. *Menoch lib. 2. pres. 65.* Conclusio item causæ intra debitum tempus, sexaginta scilicet utiles dies facta præsumitur. Cujus ratio est quod præsumtio fieri debeat in meliorum partem, atqui sic præsumendo præsumtio fit in meliorem partem, quia sic præsumendo consultum est utrique parti & jus nullius perit. *Menoch. lib. 2. pres. 66. Masc. concl. 339. n. 1.* Revocatio porro conclusionis præsumitur ex eo quando iudex admittit articulos partis adversæ. Quia enim hæc admissio non nisi ante conclusionem fieri potest, hinc iudex admittens articulos, conclusionem factam irritam censere debet. Quia qui vult consequens vult etiam antecedens. *Masc. concl. 339. n. 5. concl. 1279. n. 1.*

CII. Sententia, quæ in rem judicatam transiit, semper justa ac legitima præsumitur, donec contrarium probetur. *cap. 23. X. de elect. cap. 6. X. de renunt.* Unde etiam est quod res judicata pro veritate habeatur. *l. 207 de R. l. & causa semel approbata non retractetur. l. 6. §. 1. de manum. vind. Masc. concl. 1230.* Quod si verò à sententia fuerit appellatum pro ea non præsumi dicit *Masc. concl. 1296.* Iudices si fuerint plures & sententiis inter se varient tum illa sententia quæ numero vincit, etiam rationis pondere superior præsumitur. *cap. 1. X. de his quæ fiunt à maj. l. 19. ad municip. Barb. lib. 18. c. 19. ax. 15.*

CIII. Suspenditur sententia ab effectu rei judicatæ (1.) per Remedium Nullitatis. *t. t. quæ sent. sine appell. resc.* (2.) per Remedium Supplicationis. *l. un. C. de sent. pres. prat. deput.* (3.) per alicubi receptam Leutationem & Oberleutationem. (4.) per Appellationem *t. t. de appell.* (5.) per Restitutionem in integrum. *t. t. C. si adv. rem. jud.* (6.) per Revisionem actorum. *Struv. E-*

G

xerc.

xerc. 9. th. 72. Appellationem quod attinet non præsumitur illa, intra decem dies interposita. Appellare enim intra decem dies est quædam extrinseca solennitas quæ in facto consistit. *arg. l. 13. §. 2. de public in rem. act.* Menoch. *lib. 2. pres. 95.* Nec præsumitur, etiam appellatio deserta, sed potius profecuta, ideo quia sic præsumendo defensione gravati magis est consultum. *Menoch. lib. 2. pres. 96.*

CIV. Restitutio in integrum adversus sententiam quando petitur, & præsumtio adest fraudulento hoc fieri animo, v. g. si ex tribus sententiis appareat sententia à qua justissima, *Berlich. p. 2. D. 170. n. 10.* tum nihilominus executio procedit; ita tamen ut pars adversa caveat de restituendis omnibus antea adjudicatis, si forsitan restitutionem petens obtineat. *cap. 6. X. de in integr. reg.*

CV. Quod si vero partes sententiæ acquiescant, eamque in rem, judicatam transire sinant, & victus sponte non solvat, succedit rei judicatæ Executio. Acquiescisse autem sententiæ quis præsumitur ex eo, quod aliquid faciat quod sententiæ executionem respicit, utputa si petat à iudice terminum ad solvendum. *l. 5. C. de re jud.* Acquiescisse itidem sententiæ præsumitur quando non appellavit, *cap. 15. X. de re jud.* aut quando appellavit quidem sed appellationi deinde renuntiavit vel eam deseruit, tunc enim se justè condemnatum fateri censetur. *Menoch. lib. 2. pres. 94.*

CVI. Executio quando fit in bonis alicujus omnia quæ penes executum reperiuntur ipsius esse præsumuntur, & in iis usucapionem fecisse censetur *Masc. concl. 708.* Idque ob hanc potissimum rationem quod possessio præsumtionem domini inducat.

CVII. Post actus judiciales pergimus modo ad Extrajudiciales. Sunt autem hi vel Licitæ vel Illicitæ. *Struv. Exerc. 11 th. 23* Actus Licitæ vel sunt inter vivos, vel ultimæ voluntatis. Inter vivos iterum vel tendunt ad obligationem constituendam, vel ad tollendam. Ad constituendam faciunt pacta obligatoria, Contractus & Pollicitatio. De pactis imprimis controvertitur, an in dubio nudum an vero vestitutum pactum esse præsumatur. Et Nudum præsumi probat *l. 3. C. de usur.* ubi dicitur quod ex pacto solutum, ut
inde-

indebitum repeti non possit, quod utique de pacto nudo intelligendum venit quia id, quod ex Vestito pacto solutum est repeti non posse extra controversiam est. Probat idem *l. 6. ff. de pact.* ubi dicitur quod *interdum* ex pacto actio nascatur, quod vocabulum *interdum* indicare videtur pactum plerumque non producere actionem, adeoque ut plurimum etiam pactum pro Nudo accipi, cum utique pactum Vestitum actionem producat.

CIIIX. Queritur porro an pactum Nudum an vero stipulationem in iisse præsumantur, qui verbo *conventionis* usi sunt. Pactum nudum iniisse eos ut dicamus vocabulum *conventionis* operatur. Licet enim omnes contractus perinde ac pacta conventionem consentent, tamen stipulatio aliique contractus, præter dictam conventionem, nomen aut, eo deficiente, causam requirunt, quæ utique verbo illo *convenit* non indigentur. Videtur igitur dictum verbum pactum potius nudum significare, utpote quod ultra simplicem conventionem nihil requirit.

CIX. De contractibus ingenere sciendum est quod præsumantur secundum sui naturam, & legis Dispositionem confecti. Quia illa que lege requiruntur semper præsumuntur adesse. *arg. l. 80 de V.O.* Præsumitur etiam contractus justus *Menoch. lib. 5. pres. 2. n. 5.* Ideo quia præsumtio fieri debet in meliorem partem. Et id contractu promissum fuisse præsumitur, quod usu vel consuetudine loci, aut personæ, in contractibus adhiberi solet. *l. 31. §. 20. de adil. edict. l. 17. §. 1. de aqua & aqua pluv.* Porro qui contrahit & aliquid acquirit, proprio præsumitur nomine, non alieno, contrahere. *Menoch. lib. 3. pres. 46.* Cujus ratio est quod quilibet sua prius negotia quam aliena curare præsumatur. *arg. l. 14. de prescr. verb.* ideo quia natura insitum est homini ut charitas à se ipso incipiat. *arg. l. 6. C. de serv. & aqu.* Denique contrahens, uti & paciscens tam suorum heredum quam suo nomine contrahere & pacisci præsumitur; tum quia plerumque tam heredibus nostris, quam nobismet ipsis cavemus. *l. 9 de prob.* tum quia eadem persona censetur heres cum defuncto qui contraxit. *Nov. 48.*

CX. Contractus est vel Proprius vel Quasi contractus *§. 2. l. de obl.*

obl. Proprius ve Nominatus vel Innominatus. Ubi in dubio Menochius *lib. 3. pres. 39.* ait contractum potius Innominatum quam Nominatum præsumi. v. g. Quando ex parte unius contrahentium datur res & pecunia, ex parte alterius tantum res, tum, si res sit dubia, potius Innominatum contractum *Do ut Des.* quam emtionis & Venditionis initum videri. Ideo quod contractus stet in puris terminis contractus, nec assumat nomen specificum. Quoties autem species retinet nomen generis, nec specificum assumit, toties posito nomine generis, nomen illud de specie hac, nomen generis retinente, accipitur. Pro exemplo adducit *Menoch.* Adoptione, cujus duæ sunt species, altera speciale sortitur nomen, sc. Arrogationis, altera nomen retinet generis, & dicitur Adoptio, quoties autem simpliciter dicitur Adoptio, quilibet, nisi subjecta materia aliud fuadeat, Adoptionem in specie sic dictam intelligit. Rationem rationis subjungit, quia verosimile est quod partes contrahentes sciverint certa ipsa specierum nomina, & quod, si voluissent intelligere de ea specie, quæ non retinet nomen generis, sed aliud certum assumit, certum illud nomen expressissent. Nemo enim præsumitur loqui, nisi quod antea mente concepit. *l. 7. de suspell. leg.* & in dubio quivis ita loqui censetur, uti sermo communiter usurpatur, & rei in specie agenda convenit, quibus accedit quod in contractibus interpretatio fiat contra eum qui clarius loqui potuit. *l. 38. de pact. l. 34. de R. I.*

CXI. Contractuum Nominatorum quatuor sunt species, aut enim Re contrahuntur, aut Verbis, aut Litteris, aut consensu. *§. f. I de Obl.* Contractus Realis in quatuor species iterum subdividitur, Mutuum sc. Commodatum, Depositum, Pignus. *t. t. l. quib. mod. re contrah. obl.* Mutuum si quid datum fuerit, semper cautio interposita fuisse præsumitur, ut res ejusdem generis & ejusdem bonitatis solvatur qua datum est. *l. 3. de reb. cred.* Si sub usuris datum fuerit recipientis gratia præsumitur celebratum. *Menoch. lib. 3. pres. 73.* Quia illius gratia initus præsumitur contractus, qui rogavit, *arg. l. 17. §. 1. de prescr. verb.* Communiter autem mutuum accipiens mutuante rogat, E. accipientis gratia etiam mutuum, sub

sub usuris contractum præsumitur. Secundò illius gratia mutuum præsumitur celebratum, qui majorem exinde sentit utilitatem, *Menoch. lib. 3. præf. 70. n. 4.* At vero mutuo accipientem majorem, exinde percipere utilitatem vel ex eo patet quod fiat dominus rei acceptæ, & nisi majorem sentiret utilitatem usuris mutuo danti solvendis, potius de suo aliquid vendidisset, quam usuris sese onerasset, E. & illius gratia mutuum celebratum præsumitur.

CXII. Eodem argumento & Commodatum gratia & rogatu commodatarii concessum præsumitur. *Masc. concl. 327.* Quæ vero sit utilitas ut sciamus cujus gratia contractus sit initus ex *l. 5. Commod.* apparet.

CXIII. Depositum in specie requirit ut res custodienda custodiæ gratia sit tradita & accepta. Si enim aliud principaliter fuerit commissum, etiamsi lex custodiæ accesserit, non tamen est depositum. *l. 1. §. 12. ff. depos.* In dubio tamen si res simpliciter sit tradita, nec alia causa appareat, custodiæ gratia tradita censetur. *arg. l. 25. pr. depos.* Et licet dolus non præsumatur, in deposito tamen dolus depositarii præsumitur ex eo si dicat res se perdidisse depositas, cum tamen propriæ salvæ reperiantur. *Masc. : concl. 508. n. 1.* Nec non quando restituit cistulam, antea obsignatam, absque signo. *Masc. d. l. n. 2.* Nisi facti & personæ qualitas aliud suadeat, ut si cistula ita fuerit obsignata, ut facile signum adimi potuisset, & depositarius esset vir probus, spectatæ famæ & bonæ fidei. *Masc. concl. 507. n. 3.*

CXIV. Ex præsumta civium voluntate pignus nonnunquam, licet non fuerit expressum, constituitur, quod species Taciti sive Legalis pignoris est. Quale illud est quod ex præsumta testatoris voluntate legatario & fideicommissario constituitur in bonis à testatore provenientibus §. 2. *J. de leg. l. 1. C. comm. de leg.* Nec non illud quod ex præsumta cortrahentis mente constituitur in bonis illatis in prædium urbanum conductum, *l. 4. de pact. l. 4. l. 17. §. 1. in quib. caus: hypoth. vel pign. tac.* non solum pro pensione sed & damnis. *l. 2. d. t.* Uti & illud quod ex præsumta coloni voluntate constituitur in fructibus natis in prædio rustico. *l. 7 d. t.*

CXV. Reales contractus proxime Consensuales excipiunt, quorum itidem quatuor sunt species, Emtio Venditio, Locatio Conductio, Societas, Mandatum. *t. t. f. de obl. ex cons.* Emtio & Venditio regulariter præsumitur, quando fit mentio pretii *Menoch. lib. 3. præf. 74.* Ex pretii autem quantitate res in emtione & venditione comprehensa, vel non comprehensa præsumitur. *Menoch. lib. 3. præf. 73.* Et is qui pretium recepit venditionem ipsam approbasse præsumitur. Quia qui vult consequens vult etiam antecedens. *Menoch. d. l. præf. 95.* Pretio simpliciter promisso, moneta usualis & id loci usitata promissa præsumitur. *Menoch. d. l. præf. 76.* Is qui immodicum pretium poscit vendere nolle præsumitur. *Menoch. 78.* Venditor tradens rem constituto pretio certis pensionibus solvendo de pretio fidem habere præsumitur. *Menoch. 79.* Et si determinatio pretii fit collata in arbitrium emtoris, perinde est ac si arbitrio boni viri sit commissa *arg. l. 5. pro soc. l. 24. loc. Vinum in dolio vendens, an & ipsum dolum vendidisse præsumatur, quæritur? quod negatur per l. 1. §. 4. de peric. & comm. rei vend.* Frequentes etiam hic occurrunt controversiæ an res sit vendita ad mensuram, an ad corpus. Et quidem si incipiatur à nomine designante certum corpus, vel alio modo corpus idonee expressum, & post tamen mentio de mensura subjecta sit, videtur ad corpus facta venditio. *Franz. K. ad tit. de act. emt. n. 108. Mantica. de tac. & amb. conv. lib. 4. tit. 17.* Plures præsumptiones circa emtione venditionem laudatus author. *d. l. 4. per tot.* prosequitur.

CXVI. Locatio Conductio potissimum præsumitur ex constitutione certæ pensionis, ex consuetudine domini rem locare soliti, & more rem detinentis soliti rem conducere, & denique ex re vel facto locari solito. *Mantica de tac. & amb. conv. lib. 5. tit. 2.* Solet circa Locationem & Conductionem quæri, an conductor ob id quod finito primo conductionis tempore in re conducta persistit, eam reconduxisse præsumatur. Quod affirmatur *l. 3. §. f. loc. cond.* Similiter & Locator Locationem continuasse dicto casu præsumitur. *l. 14 loc. cond. l. 16. C. d. t.* Quæritur porro an Locator in dubio patientiam utendi fruendi Conductori præstitisse præsumatur?

Quod

Quod itidem affirmatur, quia si minus patientiam præstiterit ad-
versus legem & promissam fidem commisisset, *l. 1. de pact* quod
utpote delictum, non præsumitur. *Menoch. lib. 3. præf. 86.*

CXVII. Societas potissimum est vel communis vitæ & confortii,
ut v. g. societas nuptialis de qua hic non agimus, vel Conventio-
nalis sive Promercialis quæ instituitur de re vel opera quæstus causâ
in commune habenda. Et hæc vel est Universalis vel Singularis S.
certæ negotiationis. Utraque non minus verbis quam re & facto
contrahi potest. Ex quibus vero factis animus ineundæ societa-
tis colligi debeat, vix generali regula exprimi potest, sed circum-
stantiæ accurate sunt inspiciendæ. Sic v. g. si duo pluresve citra
expressam societatem rem aut operâ inter se communicent, quæstum
ac impendia inter se conferant, & ex libris societatis tacite contracty
societatis facile præsumitur. *Mantica de tac. & amb. conv. lib. 6. tit. 3.*
& tit. 11. per tot. Sic etiam societas omnium omnino bonorum potissi-
mum ex his tribus præsumitur. 1. Si ii, de quorum societate quæritur,
simul cohabitaverint. 2. Si omnia lucra undecunque quæsitâ
communicaverint. 3. Si sibi invicem nullas rationes reddide-
rint, nec à se invicem exegerint. *Cravetta conf. 159. n. 1. vide Mant.*
d. l. tit. 10. Ex qualitate namque actuum mentem ac intentionem
agentium colligimus, & talis voluntas præsumitur, qualis ex acti-
bus declaratur. *arg. l. 5. C. de inst. & subst.* Dissoluta præsumitur
societas quando socii separatim sua negotia suo proprio nomine
tractare cœperunt. *lib. 47. §. 6. de administr. tut.* vel quando so-
cius mutavit formam inscribendi libros rationum nec in litteris al-
terum amplius socium appellet. *Alex. conf. 132. n. 2. & 10.* Re-
novatam esse societatem cum semel dissoluta fuerit non facile præ-
sumitur, sed probandum est alleganti, mutatio namque non præ-
sumitur. *Masc. concl. 1310. n. 8.* Quod tamen suas admittit limi-
tationes. *n. 10. 11. 12. 13.*

CXIX. Mandatum præsumitur si tale quid inter duas pluresve
personas actum sit ut alter suo periculo negotium committat, alter
gratis suscipiat. Sic v. g. ex traditione instrumentorum quæ ad
causam pertinent, ex traditione sigilli, si aliæ circumstantiæ tamen

con-



concurrant, ex officii concessione: omnia enim hæc mandata censentur, sine quibus officialis suo officio fungi non potest. *l. 5. ff. de off. e. ius cui mand est jurisd.* Colligitur etiam mandatum ex temporis diuturnitate, ex mandatarii dignitate & integritate fidei, conjunctione personarum & aliis conjecturis, *Mantica de tac. & amb. conu l. 7. tit. 5 usque ad tit. 12.* ut si quis alieno nomine faciat actum, quem nemo sine mandato & iussu alterius facere præsumitur, v. g. cum solvit pensionem alieno nomine. Nemo enim, suum jactare præsumitur. *l. 25 de prob.* quod tamen fieret si absq; mandato pensionem solveret; quia, cum nulla necessitate cogente concederet, donare videretur. *l. 82. de R. l.* Præsumitur etiam nonnunquam ex scientia & patientia. *Menoch. lib. 3. concl. 61. n. 2.* Ex quibus conjecturis mandatum susceptum æstimetur tradit laudatus *Mantica. d. l. tit. 13.* Revocatum præsumitur si aliquid de novo in persona procuratoris emergat; præsertim si tale sit, quod, si initio apparuisset, mandans vel non commissurus, vel mandatarius non suscepturus fuisset negotium. Quia propter mutationem morum mutata præsumitur voluntas. *Masc. concl. 1416. n. 22.* Cæterum qui concessit mandatum super præparatorio, non præsumitur voluisse concedere super principali. *Menoch. lib. 6. pres. 3. n. 15.*

CXIX. Seqvuntur litterarum obligationes, & quidem scriptura, vel requiritur ad substantiam contractus, vel ad meliorem probationem. Ad substantiam regulariter non requiritur scriptura, sed solum ad probationem. *l. 4. ff. de pign. & hypoth.* Ubi tamen vel lex requirit scripturam, vel contrahentibus in scriptis contrahere placuit, contractus non ante censetur perfectus, quam scriptura in mundum redacta & omnibus numeris est absoluta. *l. 17. C. de fide instr. pr. I. de contrab. emt.* Lex requirit scripturam in specie in contractibus chirographariis, qui dicuntur tunc initi, quando spe accipiendæ pecuniæ, quis chirographo acceptionem pecuniæ ejusque restitutionem professus, & post non acceptam pecuniam datumque chirographum biennium elabi passus est. *t. t. I. de tit. obl.* Hunc contractum communiter præsumtum vocant mutuum, sed cum

cum in §. f. I. de obl. litterarum obligatio peculiaris dicatur contractus, & §. un. I. de lit. obl. ex ipsa scriptura dicatur nasci obligatio, non puto ex præsumto mutuo hic nasci obligationem. Dn. Hahn. de reb. cred. Franzk. Exerc. 10. §. 9. Quando autem in scriptis contrahere placuerit, non una omnium est sententia. vide Mant. de tac. & amb. conv. lib. 1. tit. 8. Probatur vero horum sententia, qui statuunt tum placuisse in scriptis contrahere, quando vel expresse vel tacite inter contrahentes actum, ut non solum scriptura fiat, sed ut contractus non antea habeatur pro perfecto, quam scriptura fuerit perfecta. Salyc. ad l. contractus C. de fide instr. Mantica d. l. n. 7. §. sed diversam.

CXX. Verborum Obligatio sive stipulatio præsumitur ex eo quod in scriptis & in actis iudicii reperiatur aliquem stipulanti promississe. §. 16. I. de inutil. stip. Præsumitur etiam stipulatio intervenisse in fideiussione. Masc. concl. 781. Stipulans pro se & heredibus suis præsumitur stipulari, plerumque enim tam heredibus nostris quam nobismet ipsis cavemus. l. 9. de pact. Pater stipulando filio, ei ut heredi, non ut filio, stipulari præsumitur. Qui enim filio ut heredi stipulatur, is stipulatur de jure communi. d. l. 9. qui vero eidem ut filio stipulatur, is de jure speciali stipulatur. l. 38. §. 17. de V. O. In dubio autem faciens actum jure communi, non speciali, uti velle præsumitur. Barb. lib. 9. cap. 95. ax. 1. Masc. concl. 1152. Alciat reg. 3. præf. 36.

CXXI. Contractus Nominatos excipiunt Innominati, & hi sunt tales vel simpliciter vel secundum quid. Innominati simpliciter sunt qui nec de jure civili nec gentium sunt nominati. Cujusmodi sunt contractus. Do ut Facias, Facio ut Des, Facio ut Facias Innominati secundum quid sunt qui licet de jure civili, sive lege XII. tabularum nominati non sint, sunt tamen tales usu hominum. Cujusmodi sunt contractus Aestimatus & Permutatio, quæ jure Civili contractus Do ut Des appellatur. Non tamen simpliciter idem est cum contractu Do ut des. latius quippe patet Do ut Des quam Permutatio. Jason in l. 1. n. 10 ff. de rer. perm. Hæc Permutatio cum Emtione magnam habet similitudinem, l. 1. ff. de contrah. emt. arg. §. 28 l. de act. adeo ut sæpius dubitetur an sit Emtio an Permutatio. Præsumitur autem Permutatio 1. si non appareat

H

quod

quod pecunia ut certum pretium sit data. *arg. l. 16 ff. de cond. cau-
sadar. caus. non sec.* 2. quando species & pecunia pro specie datur,
ita ut pecunia sit tanquam supplementum speciei, si autem species
tanquam pars pretii in solutum datur est potius emptio. *Mantica de
tac. & amb. conv. lib. 2. tit. 2. n. 17. & lib. 25. tit. 2. n. 1.* Hoc ta-
men limitatur si forte in fraudem venditionis prohibita facta sit,
permutatio, & quamvis regulariter permutatio non praesumatur,
fraudulenter & illegitime facta, fraus enim, quia in meliorem par-
tem fieri debet praesumptio, non facile praesumitur: interdum tamen
nimia inaequalitas rerum permutatarum locum suspicioni facit. In-
gens enim liberalitas sinistrae suspicionis nonnunquam causa est.
l. 17. §. 1. quae in fraud. cred. Nisi conjunctio sanguinis aut sene-
ctus aliud suadeat. *Masc. concl. 1170. n. 7.* Fraudis suspicionem
etiam movet si quis permutet cum decumbente gravissimo morbo.
cap. 2. in 6to de renunt. Alias fraudis suspensiones reperire licet a-
pud Masc. d. concl.

CXXII. Contractus Proprios sequuntur Quasi contractus. Qua-
les sunt Negotiorum gestio, Tutelae administratio, Rei communio,
Hereditatis communio, Aditio hereditatis, Solutio indebiti, §. 1.
2. 3. 4. 5. 6. l. de obl. quae ex quasi. contr. Circa negotiorum gestio-
nem notandum, quod is qui semel negotia alicujus gessit, non praes-
umatur etiam nunc gerere; quia ipsum agere non est quid conti-
nuum. *l. 23. de serv. praed. urb. Menoch. lib. 1. q. 14. n. 61.* Nec
is qui negotia alicujus per dies & menses aliquot gerit, praesumitur,
id facere animo se obligandi ad negotia ista perpetuo gerenda. *Me-
noch. lib. 1. q. 20. n. 5.* Similiter is qui negotia alterius gerendo ali-
quid impendit, non praesumitur id facere animo donandi. *Menoch.
lib. 3. praes. 71. num. 3.*

CXXIII. Tutelam nonnunquam tutor dolose administrasse praes-
umitur, quando sc. rerum pupilli inventarium, aut librum ratio-
num non conficit, pecuniam pupilli in honestum lucrum non po-
suit, aut quando finita tutela instrumenta ad adultum spectantia,
restituere recusat, *Masc. concl. 1391.* vel rem pupilli se authorem
emit. *l. 5. §. 3. de auth. & conf. tut. & cur.* Regulariter vero praes-
umitur fidelis; adeo ut quamvis tutor suscepta, tutela pauper fu-
erit,

eirt, & postea ea finita pauper repériatur, potius tamen ex sua industria, quam ex bonis pupilli locupletatus præsumatur. *l. 10. C. arbitr. tut.* Porro quamvis in dubio quis actum proprio potius quam alieno nomine facere præsumatur, prout superius demonstratum fuit, tutorem tamen præsumi nomine pupilli agere, scribit Masc. *concl. 1392.* Tutoris auctoritatem in contractu pupilli intervenisse, non præsumi probat *l. 13. §. 2. de Publ. in rem act.*

CXXIV. Communio in genere non præsumitur, cum & hæc sit facti, & quilibet sibi consulere studeat, ac Communio communiter tanquam mater discordiarum fugiatur. *l. 77. §. 20. de leg. 2.* Interim tamen si quidem inciderint in rem communem, aut si fratres simul diu habitaverint, & omnia lucra communicaverint, nec ad invicem rationem bonorum reddiderint, ex his actibus præsumitur inter ipsos contracta communio. *Masc. concl. 228. n. 5.* Præsumitur etiam communio ex eo, quod quis tigna habeat immissa in muro ab aliquo possesso. *de concl. n. 8.* quod vero tum demum procedit, quando ambo sunt in possessione muri, nec constat quis illum ædificaverit, tum enim quia non magis apparet de jure unius quam alterius, murus videtur communis. *d. concl. n. 9.* Rem communem habens, & ea ad libitum utens, non præsumitur illa in detrimentum alterius uti velle, sed simpliciter secundum jus suum. Secus enim si faceret delinqueret, delictum vero non præsumitur *Masc. concl. 1005. n. 8.* De aditione hereditatis jam tum supra actum.

CXXV. Interdum etiam simulate contractus celebratur. Sic simulatio contingit in emtione, *l. 16 ff. de R. I. l. 55. ff. de contrah. emt.* in locatione, *l. 46. ff. loc. l. 4. C. plus val. in mutuo, l. 3. C. de postul. in deposito l. 27. depos. in pignore, l. 10. C. de distr. pign.* etiam in donatione, dotis datione, aliisque negotiis quam plurimis. Præsumuntur vero simulationes ex conjecturis rerum ac personarum, pro temporum causarum, ac circumstantiarum varietate. Colligi autem solet ex celeritate actuum, ex clausulis insolitis, pactis inæqualibus, suspectis personis, & innumeris aliis, quæ omnia hic recensere non est integrum vide *Farinac. de fals. & simul. q. 162. n. 99. Menoch. lib. 3. præf. 122. n. 5. & præf. 125. n. 4. Mantica de tac. & amb. conv. lib. 4. tit. 23. n. 31. & passim.*

CXXVI. Per Pollicitationes sæpe solet initiū sumere Donatio, quæ, uti sæpius dictum est non præsumitur. *arg l 25. de prob.* Quod tamen locum non habet, quando quis sciens indebitum solvit *l. 1. §. 1. de concl. ind.* Cujus enim per errorem dati repetitio est ejus consulto dati donatio. *l. 53. de R. l.* Similiter qui scienter in alieno solo ædificat donare præsumitur, *§ 3. l. de R. D. l. 2. §. 12. ff de acq. rer dom.* quod tamen suas admittit exceptiones. *Menoch. lib. 3. pres. 32.* Donare etiam videtur is qui res suas non defendit. *Menoch. d. lib. pres. 33.* nec non is qui gessit negotia pupilli, & affectione paterna aliquid in ejus causam erogavit. *d. pres. n. 2. Mev. p. 4. D. 37.* Patronus consentiens nuptiis libertæ, ei jus operarum remittere præsumitur. *l. 48. de oper. libert.* Maritus expensas in uxorem ægram erogatas donare præsumitur. *l. 13. C. de neg. gest.* Præsumitur etiam maritus donasse, qui debitum uxoris solvit. *l. 33. §. 2. de legat. 3.* Interdū is qui in funus impendit pietatis causa impēdisse & donasse præsumitur. *l. 14. §. 7. de rel. & sumpt. fun.*

CXXVI. Donatio vel est inter vivos vel mortis causa. *pr. l. de donat.* Donatio mortis causa regulariter præsumitur ex facta mortis mentione. *l. 42. de mort. caus. don. & cap. Menoch. lib. 3. pres. 36.* Cum regulariter alias, nulla mortis mentione facta, donatio inter vivos præsumatur. *Menoch. d. l. n. 1.* Revocata præsumitur mortis causa donatio, quando donans superavit periculum ex quo mortem timens donaverat, aut si donationis eum pœniteat, aut prior decedat is cui donatū est. *§. 1. l. de donat. Menoch. lib. 3. pres. 37.*

CXXIX. Ad tollendam obligationem tendunt Transactiones, item Solutio, Liberatio, Oblatio, & pacta liberatoria, item Novatio, Delegatio, Acceptilatio. Transactio ex diuturnitate temporis debitis solennitatibus facta præsumitur. *Masc. concl. 1316. n. 18.* Transactionibus tacita præsumitur inesse conditio, si fides sibi servetur. *Masc. concl. 1387. n. 12.* Unde nemo ex transactione agere potest, nisi probet se pro sua parte placitum implevisse. *Masc. d. l. n. 11.* Quia fidem frangenti fides non est servanda. *arg. l. 54. §. 1. locat. Barb. lib. 6. cap. 15. ax. 60.* In scriptis facta præsumitur illa transactio de qua convenit, ut instrumentum conficeretur, ita ut non ante esset firma, quam scriptura confecta. *Masc. & concl. 435. n. 7.*

CXXIX. Li-

CXXIX. Liberatio haud facile praesumitur, ideo quia nemo praesumitur iactare suum. *l. 25 de prob.* Praesumitur tamen ex praescriptione longissimi temporis. *Masc. concl. 982 n. 15.* nec non ex eo quod creditor debitoris bona administraverit. & sibi solvere potuerit. *Masc. d. l. n. 16.*

CXXX. Nec Solutio regulariter praesumitur sed probanda est, *l. 25. C. de solut.* Quod tamen fallit ob diuturnitatem temporis, ex ea enim solutionem factam esse praesumitur. Fallit etiam ob qualitatem creditoris, veluti si creditor erat persona cauta, quae debitum facile exigere erat solita. *Masc. concl. 1318 n. 27. & 28.* Debiti itidem solutio ex instrumento deleto, apud creditorem reperto, praesumitur. Imo etiam si non fuerit deletum debitori tamen redditum instrumentum animo liberandi redditum praesumitur. *Masc. concl. 476. n. 1 & 2.* Provincialis five Collator si productis apochis trium coharentium annorum solutiones tres tributarias probaverit, semper & antea solvisse praesumitur. *l. 3. C. de apoch. publ. Masc. concl. 1320.*

CXXXI. Similiter si per tres annos Oblatio debiti facta fuerit, praeteritis annis semper solutum fuisse praesumitur. *Masc. concl. 1320. n. 5.*

CXXXII. Novatio non praesumitur. Licet enim veteri jure ad obligationem novandam sufficeret quomodocunque agere, five verbis, five conventionem, five novae personae interventu. *l. 2. de novat.* Hodie tamen ex Justiniani constitutione, non aliter valet novatio, quam si partes disertis verbis exprimant, se priorem obligationem abolitam, & novam fieri velle. *l. 2. C. de novat. § 3. F. quib. mod. toll. obl.* Limitatur tamen regula haec à Mascardo *concl. 1111. n. 2. 22. 23.* Et si posterior obligatio cum priori non possit consistere etiam hodie novatio facta praesumitur. *Mev p. 2. d. 338.*

CXXXIII. Acceptilatio etiam ob eandem, quam Liberatio, rationem non facile praesumitur.

CXXXIV. Actus ultimae voluntatis sunt Testamenta & Codicilli Testamentum imprimis non praesumitur conditum, quia importat factum. *Menoch. lib. 4. praef. 1.* Quando vero de testamento jam constat, tum praesumitur in dubio validum & jure confectum. *l. 3. de test. mil. l. 2. de his quae in test. del.* Idque ob favorem ultimae voluntatis. *Menoch. lib. 4. praef. 17.* Ob

eandem rationem testamentum etiam perfectum & absolutum
præsumitur. *Menoch lib 4. præf. 5.*

CXXXV. Testamentum aliud est de jure veteri, aliud de jure no-
vo. §. 1. 2. *l. de test. ord* De jure novo testamentum aliud fit pu-
blica, aliud privata fide. *l. 19. C. de test.* Privata fide quod fit testa-
mentum vel est Scriptum vel Nuncupativum. §. *f. l. de test. ord.*
Ad Nuncupativi essentiam licet scriptura & Subsignatio non requi-
ratur, tamen cum ob rei memoriam Nuncupativum testamentum
nonnunquam in scriptum redigatur, & à testibus subsignetur ac
subscribatur, oritur quæstio utrum tali casu quis Nuncupativum
an vero Scriptum ordinare voluisse præsumatur. Et respondetur,
pro testamento Nuncupativo. Si autem non appareat cujus rei
gratia testamentum in scripturam sit redactum, subscriptum & sep-
tem signis munitum, hoc factum magis convenit scriptū testa-
mento, & ex factis animi voluntas declaratur, igitur potius scriptu testa-
mentum ordinare quem voluisse præsumendum est. *Menoch. lib. 4.*
præf. 2. Scriptum testamentum porro vel est Solenne, sive jure com-
muni, vel Minus solenne sive Privilegiatum Ubi quæritur an in
dubio Testamentum jure communi, an vero speciali & ex privilegio
confectum præsumatur? Et respondetur distingvendo: Vel testa-
mentum non potest valere jure communi, & tum ob favorem ulti-
mæ voluntatis præsumitur confectum jure speciali. *l. 3. de test. mil.*
Vel testamentum tam de jure communi quam speciali valere po-
test, & tum præsumitur confectum jure communi. *arg. l. 35 de inoff.*
test. Alciat reg. 2. præf. 36. Menoch. lib. 4. præf. 4. Ex dictis patet testa-
mentum non facile Injustum, Ruptum aut Irritum præsumi. Cæterū
in dubio antestari, an codicillos conficere defunctus voluisse præ-
sumatur, vide *Menoch, lib. 4. præf. 3. & lib. 3. præf. 35. n. 6.* ubi dicit
animū codicillandi probari ex eo, quod plures quinq; testibus non
adhibuerit defunctus, cum plures, si voluisset, potuisset adhibere.

CXXXVII. Ab actibus Extra judicialibus Licitis ad Illicitos sive
Delicta progredimur. De quibus in genere sciendum, quod re-
gulariter nemo deliquisse præsumatur. *cap. 2. X. de R. I. arg. l. 51*
pro soc. Quilibet enim præsumitur bonus, delinquere autem
non convenit viro bono. Et hæc quidem est regula, quæ tamen li-
mitatur, quando non levia indicia locum præsumptioni faciunt,
quod species delictorum examinando uno vel altero exemplo de-
clarabimus.

CXXXVII. De-

CXXXVII. Delicta igitur late accepta prout etiam crimina includunt: distinguuntur in Privata & Publica. Privata sunt vel Ordinaria vel Extraordinaria. Ordinariorum quatuor sunt species: Furtum, Rapina, Damnum, Injuria. *pr: l. de obl qua ex del. nasc.* Furtum præsumitur 1. ab ipso rei custode commissum, ob malā ejus custodiam. (2.) quando de furto, antea inops fuit, post furtum vero commissu insolitas fecit impensas nec apparet unde factus dives (3.) quando accusatus monetam subtractæ similem expendit. (4.) quando accusatus visus est ire per loca in via & insolita. (5.) quando accusatus se furtim proripuit ex ædibus in quibus antea familiaris erat. (6.) quando accusatus visus est aliquid domo exiens sub veste portare. (7.) quando noctis tempore domo, in qua furtum commissum est exivit. (8.) à vestigio cum calceo & pede accusati conveniente. (9.) ex eo quod res aliqua accusati reperta fuit in loco furti, v. g. vestis aut telum aut simile aliquid. (10.) ex eo quod scala alicujus applicata fuerit inventa: ædibus in quibus furtum commissum. (11.) quando res furto subtracta commodum accusato tantum attulerit, non alii. 12.) ex instrumento alicujus ad furandum apto reperto. *Menoch lib 9. præf 31.*

CXXXIIX. Extraordinarium delictorum species est Prævaricatio, quæ præsumitur ex insufficiente causæ defensione, ex non facta appellatione, cum jure quis appellare potuerat vel quando litigans litiganti impensas subministrat; item ex magna litigantium familiaritate, aut affinitate & sanguinis conjunctione. *Menoch. lib. 5. præf. 26.*

CXXXIX. Publica crimina sunt Homicidium, Adulterium, Incendium, Crimen falsi &c. Homicidium præsumitur ab eo commissum quo præsentem cadaver sanguinem emittit. *Masc. concl. 367 n. 24.* Quæ tamen præsumtio si aliis indiciis sit destituta parum facit. Item ab eo qui ex domo occisi cum gladio sanguinolento aut sanguine aspersus visus est aufugere. *Masc. d. l. n. 25.* Adulterium præsumitur si vir per decennium domo absens, reversus anniculum invenerit. *l. 6. de his qui sui vel al jnr: quam violentam esse præsumtionē superius dictum est.* (2.) in casu *l. 34 C de adult.* (3.) in casu *auth. Si quis C. d. t.* Plures adulterii præsumptiones

tionones enumerat Menoch. *lib 5. pres. 41.* De instrumento falso vide *tb. 97* Testimonium quando falsum præsumatur dictum est *tb. 100. inf.* suppositio partus etiam ad crimen falsi refertur. *l. 1. l. C. ad L. Corn. de fals:* quæ præsumitur 1. ex senectute mulieris. 2. ex prævia sterilitate. 3. quando mulier se non passa est custo diri. 4. quando mulier partum causans ex urbe rus abiit, nulla secum ducta obstetrice. 5. quando constat jam paulo ante natum, fuisse ex alia muliere puerum, & hunc traditum intimo mulieris, quæ se peperisse dicit. 6. quando nemo partui præsens fuit. Has & plures adhuc suppositi partus præsumptiones recenset Menoch. *lib. 5. pres. 24. Masc. concl. 1147.*

CXL. Tandem sequitur Effectus præsumtionum, qui consistit in eo quod transferat Præsumtio onus probandi. Vide *l. 24. §. 8. inf. de fideic. libert.* ubi dicitur, quod heredis sit contrariam testatores voluntatem probare, si præsumptione libertas præstita esse videatur. Et *l. 23. quod met. caus.* in qua, is qui metus causa indubitum non solvissè præsumitur, huic præsumptioni apertissimas violentiæ probationes opponere debere, dicitur.

CXLI. Denique notandum præsumptionem specialem potentior esse generali. *l. 25. de prob.* In toto enim jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur quod ad speciem directum est. *l. 80. de R. I. reg. 34. in 6. d. l.* Sic etiam illa præsumtio fortior est quæ actum valere & consistere facit. *l. 12. de reb. dub. l. 80. de V. O.* Præsumtio Naturalis potentior est Accidentali arg. *l. 19. C. de Episc. & Cler.* Et ea quæ ex substantia descendit firmior illa quæ ex solennitate oritur. arg. *l. 11. C. de testam.* Præsumtio exclusiva delicti fortior est inclusiva arg. *l. 51. pro soc.* Et illa potentior quæ benignior. Semper enim in dubiis benigniora præferenda sunt. *l. 56. l. 192. §. 1. de R. I. l. 10. §. 1. de reb. dub. caq. 2. X. de R. I.* Illa etiam validior quæ veresimilitudini magis convenit. *Barb. lib. 14. cap. 68. ax. 15.* & qua vitantur inæqualia *ax. 16.* Si igitur concurrant tales præsumptiones fortior ac validior tollit debiliorem.

F I N I S.

154032

(X26179.52)


10-17



VOLVNI S...

AB
1700





DISPUTATIO JURIDICA
DE
PRÆSUMTIONIBUS.


Quam
D. O. M. A.
Præside

DN. JOHANNEN HENRICO
Böttcher

J. U. D. & Professore Ordinario, nec non Di-
casterii Guelphici Assessore, Patrono ac Fautore
plurimum honorando

Publica disquisitioni subiectis
REINHARD DIDERICHIS. Cell.

Auth. & Resp.
AD DIEM MAJ.
IN MAJORI NOVI JULEI AUDITORIO



HELMSTADT,
Typis JACOBI MÜLLERI, M. D. C. LXXV.

19.

